AVIVM PRAECIPV ARVM, QVARVM APVD PLINIVM ET ARIſtotelem mentio eſt, breuis & ſuccincta hiſtoria.

Ex optimis quibuſque ſcriptoribus contexta, ſcholio illuſtrata & aucta.

Adiectis nominibus Graecis, Germanicis & Britannicis.

Per Dn. Guilielmum Turnerum, artium & Medicinae doctorem.

Coloniae excudebat Ioan. Gymnicus, Anno M. D. XLIIII.

ILLVSTRISSIMO VVALLIAE PRINCIPI, EDuuardo filio hæredi, ſereniſſimi & potentiſſimi Henrici VIII. regis Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ, Guilielmus Turnerus S. P. D.

Prudens admodum, &, ſi quid ego intelligo (illuſtriſſime princeps) neceſſaria imprimis regij prophetæ fuit admonitio, qua reges, principes & iudices terræ, ut intelligerent, & eruditionem conſequerentur, admonuit. Nam ut ſummus ille rerũ architectus Deus optimus maximusq́; caput ſuper omnes reliquas corporis partes in homine, qui perfectiſſimę in ſe Reipublicæ

ſimulachrum gerit, collocauit, & omnes quinq; ſenſus ſimul in eo repoſuit, ut pro reliquis omnibus mēbris (quibus ſolus tactus eſt conceſſus) uideret, audiret, guſtaret & odoret, & eorum ſaluti conſuleret: ita principem Reipublicę, corpori ex multis membris conflato, ueluti caput præfecit, ut prudentia, eruditione, & ſenſibus ſuis non tam exterioribus, quā interioribus, totius Reipublicæ commodis & ſaluti proſpiceret. In pedibus uiſum, in tibijs auditum, in manibus olfactum, in brachijs odoratum nemo requirit: ſed hæc omnia in capite requiruntur.

Quum igitur tot ſenſus in capite uni tantū corpori pręfecto requirantur: quot ſenſus, quantum ſapientiæ & eruditionis ab eo capite

exigun

exiguntur, cui plus quàm trecento rum milium corporum præfectura committitur? Quòd ſi quis forſan reſpondeat, non in principe, ſed in ĳs ſolis, qui illi à conſilĳs ſunt, eruditionem & prudentiam requiri: hunc ego dignum cenſerē, qui pro tali reſponſo, omnibus ſenſibus, excepto tactu, orbatus in media ſylua uepribus & ſpinis denſa, caueis & foſſis formidabili, quatuor ducibus comitatus ſtatueretur, nobis dicturus, nū proprĳs malit uti ſenſibus an alienis? & num tutius illi ſit, ducum ſuorum incertorum ſenſibus, an proprĳs duci? & qua ratione cæcus & ſurdus odoratu & guſtu deſtitutus ipſe, cęci ne an uidētes ſui ſint duces, dignoſcere poſſit?

In conſiliarĳs ſummam pruden

tiam & eruditionem non uulgarem requiri, non diffiteor: uerùm non in ijs ſolis, nam ſi illi, qui principi ſunt à conſilijs, ad tempus bene conſu‑lant, & poſtea in ipſius perniciem malè ſuadeant, ut Abſaloni Achitofelem feciſſe legimus: quomodo perniciosum illorum conſiliũ ipſe ſubodorabitur & depræhendet, niſi eruditione & prudentia conſiliarios ſuos aut ſuperet, aut ſaltem æquet? Quare nõ in conſiliarijs tantùm, ſed in principe ipſo eruditio & ſapiẽtia requiruntur. Non deſunt, qui ſatis eſſe principi exiſtimant, quo cæteris mortalibus præſtet, ſi regio ueſtitu, diuitijs, copijs, ſcitè pulſando teſtu‑dinem, & tela dextrè uibrando, ſubditis ſuis præluceat: uerùm fortiſſi‑mi quiq; & ſapientiſſimi reges lon‑

gè di

gè diuerſum ſenſerunt. Nã Mithri
dates rex Põti & Bithyniç, ſe regno
rum ſuorum caput eſſe intelligẽs, et
tot corporibus, quot prçerat, unicã
uernaculã ſuam linguã minimè ſuf-
ficere, uiginti duas linguas gẽtium,
quas ſub ditione ſua habuit, ita per
fectè didicit & percalluit, ut uiginti
illarum gentium uiris ſine interpre
te promptè reſponderit, & ſua cui-
que lingua non ſecus atque genti-
lis fuiſſet, locutus fuerit. Idẽ rerum
abditas naturas ita perueſtigauit, &
in re medica ita fœliciter fuit uerſa-
tus, ut aduerſùs lethalia uenena an
tidotum, quod hodie etiamnum ab
eo nomen ſortitum, Mithridatium
appellatur, ſuo Marte inuenerit.
Alexander ille Macedonum rex,
tam naturæ quàm fortunæ dotibus

iure ſuſpiciendus, tanto bonarum artium & philoſophiæ potiſſimum ſtudio flagrauit, ut etiã in zelotypiam quandam literariam inciderit. Nam is cùm omnem propè Aſiam armis & exercitu teneret, ubi primũ Ariſtotelem libros ſuos de auſcultatione phyſica inuulgaſſe acceperat, in tantis negocijs cum Ariſtotele, miſſa ſtatim epiſtola de editis libris, his uerbis expoſtulabat: Quòd diſciplinas ἀκροαματικὰς edidiſti, non rectè feciſti. nam qua alia re cæteris præſtare poterimus, ſi ea, quæ abs te accepimus, omnium prorſus fuerint communia? Quippe ego doctrina anteire malim, quàm copijs atq; opulentijs. Hæc Alexander.

Diuino approbatus oraculo rex ille Dauid, qui & propheta fuit diui

no numine adflatus, atq; ideo qđ regi maximè neceſſariū foret, cognoſcens, ante omnia literas, nempe ſacras expetiuit, ut ſibi tēperare non potuerit, quin diceret, Benedictus es domine, doce me iuſtificationes tuas, in uia mandatorū tuorū delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs: in mandatis tuis exercebor, & conſiderabo uias tuas. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Bonitatē & diſciplinā & ſcientiam doce me: ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua. Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periſſem in humilitate mea. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Bonum mihi lex oris tui ſuper milia auri & argēti. Lucerna

pedibus meis uerbum tuum, & lumen ſemitis meis. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Hactenus rex Dauid, & pace & bello omnium regum illuſtriſſimus.

Rex Solomon huius filius, omniū, quos unquā terra genuit, ſapientiſs. cuius unius autoritati plus tribuendum eſt, quàm ſexcentis adulatoribus diuerſum ſuadētibus, cùm totius orbis conditor & omnium bonorum largitor Deus pater, illi, quod ſibi optimum, & ex uſu ſuo maximè fore iudicaret, ultro offerret, & poſcenti mox ſe daturū promitteret, ad hunc modum, ut diuinæ literæ teſtantur, reſpondit. Nunc domine Deus, tu me regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauide pa

tre meo, ego autem ſum puer par-
uulus, & ignorans ingreſſũ, & intro
itũ meũ: & ſeruus tuus in medio eſt
populi, quem elegiſti, populi infini
ti, qui numerari & ſupputari non
poteſt prę multitudine. Dabis ergò
ſeruo tuo cor docile, ut populum
tuum iudicare poſſit, & diſcernere
inter bonum & malum: quis enim
poteſt iudicare populum iſtum, po
pulum tuum hunc multum? Huc
uſq; Solomon, qui in philoſophia
tam diuina quàm humana ita non
multis pòſt annis profecit, ut de
ſtirpibus à cedro uſq; ad hiſſopum
diſputauerit, & de beſtijs, uolucri-
bus, reptilibus, & piſcibus diſſe-
ruerit.

Quare, prudentiſſimi quique
principes, & fortiſſimi, nõ ſatis ha
bebant

bebant, ſubditos ſuos diuitijs, ho-
noribus, ueſtitu, inceſſu, & bellica
gloria excellere, niſi literis, linguis,
philoſophia tam diuina quàm hu-
mana inſuper multùm ſuperararent,
& à tergo relinquerēt. Quod pater
tuus omnium regum, qui hodie ui
uunt, eruditiſſimus, ſatis ut regem
tantum decet, intelligens, & cui
Reipub. gubernaculum committi
tur, quàm neceſſaria literæ & plilo-
ſophia ſint, prudenter ſecum per-
pendens, liberos ſuos ſemper erudi
tiſſimis quibuſque præceptoribus
commiſit. Duci enim Richmun-
diæ, piæ memoriæ, fratri tuo Geor-
gium Folberium præceptorē olim
meum, uirum inſigniter doctum, et
mirum rectè inſtituendæ iuuentu-
tis artificem, & tibi nūc uirum lon-
gè do

gè doctiſſimum (uti audio) præfecit.

Qua de cauſa, illuſtriſſime & optime princeps, ſapiẽtiſſimorum & fortiſſimorum regum exempla ſecutus, atq; potentiſſimi & eruditiſſimi patris tui conſilio obtemperans, qui te ad meliores imbibendas literas, nunquam non inuitat, incitat & hortatur, dum ætas tua adhuc tenera eſt, & literarũ capaciſſima, omne genus bonarum literarum obuijs ulnis amplectere, diſce, & imbibe, & exantlati in bonas literas laboris olim te minimè pœnitebit. Sed ut ad propoſitam metam minori cum negocio poſſis peruenire, libellum De hiſtoria auium, in quo Latinis nominibus Græca, Germanica & Britãnica in gratiam

tuam

tuam appoſui, ex Ariſtotele & Plinio, & optimis quibusq; ſcriptoribus contexui. Hunc ego nominis tui celebritati dedico, & dono: etiã atq; etiã te obteſtans, ut hoc meum qualecunq; munuſculum æqui boniq; conſulas. Quod ſi te facturum intellexero, & hunc libellum figuris & auium moribus, & medicinis auctum, & de herbis alium etiam librum, breui, uolente Deo, in lucem emittam. Vale. Dominus Ieſus te diu nobis ſanctiſſimis moribus inſtitutum, & optimis literis imbutum, quàm diutiſſimè inculumem conſeruet.

Coloniæ 5. Idus Februarij, Anno M.D.XLIIII.

Accipitrum.

Ariſtoteles.

ACcipitrum genus præci
puum Buteo eſt, Trior
cha à numero teſtium
nuncupatus: ſecundum
æſalo, tertium circus. Stellaris au=
tem, palumbarius, & pernix diffe
runt. Appellantur ſubuteones, qui
latiores ſunt: alij percæ & fringilla=
rij uocantur: alij læues & rubetarij,
qui abundè uiuunt, atque humiuo
lę ſunt. Genera non pauciora quàm
decem eſſe accipitrum aliqui prodi
derunt, quæ modo quoq; uenandi
inter ſe diſſident. Alij enim colum=
bam humi conſidentem, rapiunt,
uolantem non appetunt: alij ſuper
arborem, aut tale quid conſcenden
tem, uenantur: ſin humi eſt, aut uo
lat

Buteo.

Aeſalo.
Circus.

Percæ
Fringilla=
rij.
Rubeta=
rij.

lat,non inuadunt. Aliӯ neq; humi, neq; in ſublimi manentē, adgrediũtur,ſed uolantem capere conantur. Fertur etiam à columbis quodq; accipitrũ genus cognoſci. Itaq; cùm accipiter prouolat, ſi ſublimipeta eſt, manent quo conſtiterunt loco: ſed ſi humipeta qui prouolat, eſt, non manēt, ſed continuò auolant.

Plinius.

Accipitrum genera ſedecim inuenimus. Ex ӯs circon claudum (Circus.) altero pede, proſperrimi auguriӯ nuptialibus negociӯs, & + pecuniariæ (+pecuariæ) rei. Triorchen à numero teſtiũ, cui principatum in auguriӯs Phœmone dedit: buteonē (Buteo.) hunc appellant Rom. Aeſalona Græci uocant, qui ſolus omni tēpore apparet. Cæteri hyeme abeunt. Nocturnus accipiter

ter cymindis uocatur, rarus etiam in ſyluis, interdiu minùs cernens: bellum internecinum cum aquila gerit: cohærentesq́; ſæpè præhenduntur. Hæc Plinius. Cymindis

Quanquam Ariſtoteles decem eſſe accipitrum genera tradat, & Plinius ſedecim: neuter tamen horum hæc ita diſtinxit genera, & deſcripſit, ut procliue ſit lectori ſuum cuique peculiare nomen ex illorum præſcriptis imponere. Quare à me nemo horum exactam differentiam, & cuiuſque nomen Britannicum aut Germanicum cum Latino & Græco coniunctum, iure poterit exigere. Ego tamen, quod nomen Britannicum, cuiq; Latino imponẽdum eſſe cenſeo, lectorem minimè celabo.

Buteo τριόρχης Græcè dictus, Anglorum busharda eſt, niſi fallar: nam miluo magnitudine æquiparatur, ſemperq́; ipſe cernitur, qualem Ariſtoteles octauo libro de hiſtoria animalium buteonem deſcribit. Buteo.

Αισάλων, quoniam iuxta Plinij ſententiam omni tempore apparet, & inter minores accipitres ſola merlina ſiue ſmerla, ſemper adpareat, mihi Anglorum merlina, & Germanor. ſmerla eſſe uidetur. Aeſalo.

4

Palumbarius. Accipitrem palumbarium ideo Anglorum ſpar haucam, & Germanorum ſperuuerum eſſe puto, quòd palumbos, columbos, perdices & grandiuſculas aues inſequatur.

Fringillarius. Fringillarium Anglorum hobbiã eſse conijcio. Eſt autem hobbia accipiter minimus, coloris cæteris, nigrioris. In capite duos habet nigerrimos in pallido neuos. Galeritas & fringillas plerumq; captat, in excelſis arboribus nidulatur, & hyeme nuſquam cernitur.

Rubetarius. Rubetarium eſſe credo accipitrem illum, quem Angli hen harroer nominant. Porrò ille apud noſtros à dilaniandis gallinis nomen habet. Palumbarium magnitudine ſuperat, & coloris eſt cinerij. Humi ſedentes aues in agris, & gallinas in oppidis & pagis repentè adoritur. Præda fruſtratus, tacitus diſcedit, nec unquam ſecundum facit inſultum. Hic per humum omnium uolat maximè.

Subbuteo. Subbuteonem eſſe puto, quem Angli ringtalum appellant, ab albo circulo, qui caudam circuit. Colore eſt medio inter fuluum & nigrũ, buteone paulò minor, ſed multò agilior. Prædam eodem modo, quo ſuperior captat.

DE

DE ALCEDONE.

Ἀλκυών, alcedo, Anglicè the kynges fiſsher. Germanicè eyn eiſuogel.

Ariſtoteles.

Alcedo non multò amplior paſſere eſt, colore tum uiridi, tum cœruleo, tum etiam leuiter purpureo inſignis: uidelicet non particulatim colore ita diſtincta, ſed ex indiſcreto uariè refulgens corpore toto & alis & collo, roſtrum ſubuiride, longum & tenue. Alcedonum quoque genus aquas adamat, quod duplex eſt: alterum uocale, harundinibus inſidens, alterum mutum, quod ampliore corpore eſt. utrique dorſum cœruleum. Sed alcedo apud mare quoque uerſatur.

Plinius.

Ipſa auis paulò amplior paſcere, colore cyaneo, ex parte maiore, tan

tum purpureis &candidis admixtis pennis, collo gracili ac procero. Alterum genus earum, magnitudine diſtinguitur, & cantu. Minores in harundinetis canunt. Halcyonem uidere rariſſimũ eſt, nec niſi Vergiliarum occaſu, & circa ſolſtitia, brumam'ue, naue aliquando circumuolata, ſtatim in latebras abeuntem. Fœtificant bruma, qui dies Halcionides uocãtur, placido mari per eos & nauigabili, Siculo maximè. In reliquis partibus eſt quidem mitius pelagus. Siculũ utiq; tractabile. Faciunt autem ſeptem ante brumam diebus nidos, & totidem ſequentibus pariũt. Nidi earum admirationem habent, pilæ figura paulũ eminente, ore perquàm anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine, ferro in

ro intercidi non queunt, franguntur´q; ictu ualido, ut ſpuma arida maris. Nec unde confingantur, inuenitur. Putant ex ſpinis aculeatis, piſcibus enim uiuunt. Subeunt & in amnes. Pariunt oua quina.

Præter hæc duo ab Ariſtotele & Plinio deſcripta genera, auem noui, quæ ſi alcedonum generibus non ſit adſcribenda, ſub quo genere contineatur, prorſus neſcio. Ea ſturno paulò minor eſt, corpore toto nigro, excepto uentre albo. Caudam habet breuiuſculam, roſtrum alcedone paulò breuius. Ante uolatum, alcedonis more crebrò nutat, & in uolatu gemit: uoce alcedonē ita refert, ut, niſi uideas, alcedonem eſſe iurares, in ripis fluminum, non procul à mari uidi, aliâs nuſquam. piſciculis uictitat ut ſuperiora alcedonum genera. Nidum huius nunquam uidi. Morpetenſes, apud quos auem uidi, cornicem uocant aquaticam. a uuater crauu.

DE ANATE.

Νῆττα, *anas*, *Anglicè a duck*, *Germanicè* eyn endt.

Plinius.

Anates ſolæ, quæ'que ſunt eiuſdem generis, in ſublime ſeſe protinus tollunt, atq; è ueſtigio cœlum petunt, & hoc etiam ex aqua.

DE ANSERE.

Χὴν, anſer, Anglicè a goſe, Germanicè eyn ganß.

Ariſtoteles ſimul & Plinius duo præcipua anſerum genera faciunt: hic anſerem in maiorem & minorem, illc in domitũ et ferũ diuidens. Sed Plin. præter hæc duo anſerum præcipua genera, Penelopes et chenalopeces, ut unus textus habet, &, ut alius habet, chenalopeces, & chenerotes anſerini eſſe generis tradit. Prior lectio ſic habet, Anſerũ generis ſunt Penelopes, & quibus lautiores epulas Britannia non nouit, chenalopeces, anſere ferè minores. *Altera ſic habet:* Anſerini generis ſunt chenalopeces & quib9 lautiores epulas Britannia nõ nouit, chenerotes.

Poſterior lectio mihi magis approbatur, nam & nos una aue locupletat, et penelopes anatini potiùs q̃ anſerini generis eruditis eſſe uidentur. Sed quæ

nam

nam iſtæ aues, & quibus nominibus apud noſtrates appellantur, dicere tentabo. Chenalopex, ab anſere et uulpe nomen habet, & Latinè à Gaza uulpanſer dicitur. Noſtrates hodie bergandrum nominãt, anate longior & grandior uulpanſer eſt, pectore ruffeſcente, in aquis degit, & in cuniculorũ foueis interdum & in excelſarum rupium cauernis (unde fortè nomen ab Angloſaxonibus, noſtris patribus ſortitus eſt) nidificat. Nuſquam aliâs uulpanſerem uidi, niſi in Tamiſi fluuio. Aiunt tamen frequẽtem eſſe in inſula Tenia uocata, & illic in ſcrobibus cuniculorum nidulari. Moribus admodum uulpinis eſt. nam dum teneri adhuc pulli ſunt, ſi quis eos captare tentet, prouoluit ſeſe uulpanſer ante pedes captantis, quaſi iam capi poßit, atq; ita allicit ad ſe capiendam hominem, euſq; dum pulli effugiant: tum ipſe auolat & reuocat prolem. Chenerotes quæ nam aues ſint, puto paucißimos hodie eſſe, qui nouerunt. Neq; ego, licet Britannus, chenerotes noſtros ſatis noui: nã præter duo Ariſtot. genera, anſerũ adhuc duo genera noui in Britãnia, ad quorũ neutrum ſi chenerotes pertineãt, chenerotes mihi penitus ignotos eſſe ingenuè fatebor. Prior anſer à noſtris hodie brãta & bernicla uocatur, & fero anſere minor eſt, pectore aliquò uſq; nigro. Cætero

a bergander.

tero cinerio, anſerum ferorũ more uolat, ſtrepit, paludes frequẽtat, & ſegetẽ depopulatur. Caro anſerina paulò inſuauior eſt, & diuitibus minùs appetita. Nidum berniclæ, aut ouum nemo uidit: nec mirum, quum ſine parentis opera berniclæ ad hunc modũ ſpontaneam habeãt generationẽ. Quum ad certum tempus, malus nauis in mari cõputruit, aut tabulæ, aut antennæ abiegnæ, inde in principio ueluti fungi erumpũt: in quibus temporis progreſſu, manifeſtas auiũ figuras cernere licebit, deinde pluma ueſtitas, poſtremò uiuas & uolantes. Hoc, ne cui fabuloſum eſſe uideatur, præter cõmune omniũ gentiũ littoraliũ Angliæ, Hiberniæ & Scotiæ, teſtimoniũ Gyraldus ille præclarus hiſtoriographus, qui multò fœliciùs ꝙ pro ſuo tempore Hiberniæ hiſtoriam conſcripſit, nõ aliam eſſe berniclarũ generationẽ teſtatur. Sed, quum uulgo non ſatis tutũ uideretur fidere, et Gyraldo ob rei raritatem non ſatis crederem, dum hæc, quæ nunc ſcribo, meditarer, uirum quendam, cuius mihi perſpectiſſima integritas fidem merebatur, profeſſione Theologum, natione Hibernum, nomine Octauianũ, conſului num Gyraldum hac in re fide dignum cenſeret? qui per ipſum iurans, quod profitebatur euangelium, reſpondit, ueriſſimum eſſe, quod de generatione huius auis Gyraldus tradidit

dit, ſeq́; rudes adhuc aues oculis uidiſſe, & manibus contrectaſſe: breuiq́; ſi Londini menſem unum aut alterum manerem, aliquot rudes auiculas mihi adductas curaturū. Iſta bernicla generatio nō uſq; adeo prodigioſa illis uidebitur, qui quod Ariſtoteles de uolucre ephemero ſcripſit, legerint.

De ephimero autem Ariſtoteles libro quinto de hiſtoria animalium ita ſcribit. Hyppanis fluuius apud Cymerium Boſphorum ſub ſolſtitio, defert ueluti folliculos acinis maiores, quibus quadrupedes uolucres erumpunt: quod genus animalis in poſtmeridianum uſque diei tempus uiuit & uolat: mox deſcendente ſole, macreſcit & languet: deinde occidente, moritur, uita non ultra unum diem protracta: unde ephemerum, id eſt, diarium appellatum eſt. Hęc Ariſtotel.

Quæ ſi uera ſunt, & tāto philoſopho digna, ſuperioris auis generationi, non parum fidei adſtruent.

Alter anſer, de quo promiſi me dicturū, marina

a ſolend
auis guſe.

quis eſt, ex uenatu piſcium uictitans, magnitudine ſuperiore anſere paulò minor: anſerem tamen uoce & forma per omnia refert, nidulatur in mari Scotico, in rupibus excelſis, inſulæ Baßi, per antiphraſim, opinor, dictæ: nec alias uſpiam in tota Britannia. Hic tanto amore ſuos pullos proſequitur, ut cum pueris per funes in corbibus ad auferẽdos eos dimißis, acerrimè non ſine uitæ periculo confligetur. Nec ſilentio prætereundum eſt, ex adipe huius anſeris (eſt enim inſigniter adipoſus) unguentum à Scotis ad multos morbos utilißimum fieri, quod cum commageno à Plinio celebrato, meritò bonitate & remediorum numero poteſt certare. Iam quũ anſerum genera, licet diligentißimè inquirẽs, apud Britannos plura inuenire non poßim, chenerotes (qui ab amore mihi nomen habere uidentur,) aut bernicla aut Baſſani anſeres ſunt, aut mihi prorſus ignoti.

DE AQVILA.

ἀετὸς, aquila, Anglicè an egle, Germanicè ein ärn, oder ein adler.

Ariſtoteles.

Aquilarum plura ſunt genera. Vnum, quod pigargus ab albicante

cau

cauda dicitur, ac ſi albicillam nomi nes. gaudet hęc planis, & lucis et oppidis. Hinnularia à nonnullis uocata cognomine eſt. montes etiam, ſyluamq́; ſuis freta uiribus, petit. reliqua genera rarò plana & lucos adeunt.

Pygargus, quum ſit primum aquilarum genus, Germanorum literatores turpiter errant, qui pygargum ſuum trappum faciunt, qui apud Ariſtotelem tetrix, & Plinio tetrao eſt, ut poſtea docebo. Pygargus Anglorum lingua, niſi fallar, erna uocatur. an erne.

De planga aut clanga ex Ariſtotele.

Alterum genus magnitudine ſecundum & uiribus, clanga aut planga nomine, ſaltus & conualles, & lacus incolere ſolitum, cognomine anataria, & morphna, à macula pennæ, quaſi neuiã dixeris, cuius etiam meminit Homer. in exitu Priami.

Plinius

Plinius de morphna ſiue planga.

Morphnos, quam Homerus & percnon uocat, aliqui & plancum & anatariã, ſecũda magnitudine & ui, huicq́; uita circa lacus. Iſta circa ſtagna aquaticas aues appetit mergẽtes ſe ſubinde, donec ſopitas laſſatasq́; rapiat. Spectanda dimicatio, aue ad perfugia littorum tendente, maximè ſi condenſa harundo ſit: aquila + inde ictu abigente ala, & cùm appetit in lacus cadente, umbramq́; ſuam nanti ſub aqua à littore oſtendente: rurſus aue in diuerſa, & ubi minimè ſe credat expectari, emergente. Hæc cauſa eſt gregatim auibus natandi, quia plures ſimul non infeſtantur: reſperſu pinnarũ + hoſtẽ obcæcances. Sæpè & aquilæ ipſæ non

+ in deiectu.

+ hoſtem aliâs abũdat.

non tollerantes pondus apprehen-ſum, unà merguntur. Hæc Plinius.

Omnia, quæ Ariſtoteles & Plinius percno hactenus tribuerunt, Anglorum balbushardo conueniunt, ſi ſolam magnitudinem exceperis, quæ ſi alia adfuerint, hic fortaßis non oberit. eſt autem illa, quam anatariam eße coniĳcio, auis buteone maior & longior, neuo albo in capite, colore fuſco proximo, ad ripas fluminum, ſtagnorum et paludium ſemper degens, uiuit ex uenatu anatum et gallinarum nigrarum, quas Angli coutas nominãt. Venationem hanc, cuius meminit Plinius, inter aquilam iſtam (ſi aquila dicenda ſit) & aues aquaticas, non ſolùm ego ſæpißimè uidi, ſed infiniti apud Anglos quotidie uident. Si qua terræ portiuncula ſuper aquas inter arundineta emineat, in hac ſolet nidum facere, ut quoniam uolatu non admodum ualet, à præda non procul abſit. Aues ſubitò adoritur, & ſic capit. Cuniculos iſta interdum etiam dilaniat. Nunc an iſta anataria ſit nec ne, doctis uiris iudicandum propono.

De tertio genere ex Ariſtotele.

Tertium genus colore nigricãs,

unde

unde nomen accepit,ut pulla & ful
uia uocetur, magnitudine minima,
ſed uiribus omnium prȩſtantiſſima.
Hæc colit montes & ſyluas & lepo-
raria cognominatur.

Plinius.

Melænaëtos. Melænaëtos à Græcis dicta, ea-
demq; ualeria,minima magnitudi-
ne,uiribus præcipua, colore nigri-
cans:ſola aquilarum fœtus ſuos a-
lit,cæteræ fugant:ſola ſine clango-
re,ſine murmuratione.

De quarto genere ex Ariſtot.

percnopterus. Quartum genus percnopterus
ab alarum notis, capite albican-
te,corpore minore, quàm cæteræ
adhuc dictæ, hæc eſt. Sed breuio-
ribus alis, cauda longiore, uultu-
ris ſpeciem hȩc refert. Subaquila, &
aquila montana cognominatur. In

colit

colit lucos, degener, nec uicijs cæte
rarum caret, & bonorum, quæ illæ
obtinent, expers eſt: quippe quæ
à coruo, cæteriſq; id genus auibus
uerberetur, fugetur, capiatur. Gra-
uis enim eſt, uictu iners: examinata
fert corpora: famelica ſemper eſt, et
querula, clamitat, & clangit.

DE HALIAEETO

Haliæetus Græcè & Latinè, Anglicè an oſprey, Germanicè eyn viſhärn.

Plinius.

Supereſt Haliæetus, clariſſima
oculorum acie, librans ex alto ſeſe
uiſoq; in mari piſce, præceps in eũ
ruens, & diſcuſſis pectore aquis, ra
piens.

Ariſtoteles.

Haliæetos, hoc eſt, marina aqui-
la, ceruice magna & craſſa, alis cur-

uantibus,& cauda lata eſt. Moratur hæc in littoribus & oris. Accidit huic ſæpius, ut quum ferre, quod ceperit, nequeat, in gurgitem demergatur.

Haliæetos apud Anglos hodie notior eſt, quàm multi uelint, qui in uiuarijs piſces alunt: nam piſces omnes breui tempore aufert. Piſcatores noſtrates eſcis fallendis piſcibus deſtinatis, haliæeti adipem illinunt, aut immiſcent, putantes hoc argumento eſcam efficaciorē futuram, quòd haliæeto ſeſe in aëre librāte, piſces quotquot ſubſunt (natura aquilæ ad hoc cogente, ut creditur) ſeſe reſupinēt, & uētres albicantes, ut quem liberet, eligeret, exhibeāt.

De aquila uera ex Ariſtotele.

Angli. a right egle
German. eyn edel arn.

Sextum genus gneſium, id eſt, uerū germanumq́; appellant. Vnū hoc ex omni aquilarum genere, ueri incorruptiq́; ortus creditur. Maxima omnium aquilarum hæc eſt, maior etiam quàm oſſifraga: ſed

cete-

cæteras aquilas uel ſeſquialtera portione excedit, colore ruffa eſt, conſpectu rara.

DE ARDEA.

ἐρωδιός, ardea, Anglicè an heron. Germanicè eyn reyger.

Ariſtoteles.

Ardearum tria ſunt genera, pella, alba, ſtellaris, piger cognomine. Pellæ coitus difficilis eſt: uociferatur enim, & ſanguinem ex oculis (ut aiunt) emittit cùm coit: parit etiam ægrè ſummóq; cum dolore. Pella ſagax & cœnæ gerula eſt, & o- *Pella.* peroſa. Agere interdiu ſolet: colore tamen & prauo & aluo humida. Reliquarum duarum, alba colore eſt pulchro, & coit, & nidulatur & parit probè, paſcitur paludibus, lacu, campis & pratis. Sed ſtellaris pi- *Stellaris.* ger cognominata, (in fabula eſt, ut

olim è ſeruo in auem tranſierit) atque, ut cognomẽ ſonat, iners ocioſaq́; eſt. Phoici appellatæ, peculiare præ cæteris eſt, ut oculos potiſſimùm appetat. Petit lacus & fluuios ardea & albardeola, quæ magnitudine minor eſt, roſtro lato, porrectoq́;.

Pella apud Anglos in excelſis arboribus, nõ procul à ripis fluminum creſcentibus nidum facit. Superior pars corporis cyanea eſt, inferior autem nõnihil candicat, uentris excremẽtis liquidioribus, inuadentes ſi ſubitò aquilas, aut accipitres abigit, & ſe ita defendit. Vidi & huius generis, licet raras, albas, quæ neque corporis magnitudine, neque figura, ſed ſolo colore, à ſuperiore diſtulerunt. Viſa eſt etiam alba cum cyanea apud Anglos nidulari, & prolem gignere. Quare eiuſdem eſſe ſpeciei, ſatis conſtat. Albardeolam, quæ Græcè λευκερωδιὸς *dicitur, ſemel tantùm in Italia uidi, pella multò minor eſt, & hominis conſpectũ nõ perinde atq; cærulea fugit. Hãc ſi nõ uidiſſem, Anglorũ shouelardam albardeolã eſſe iudicaſſem. Stellaris eſt, quã Angli buttou-*

The blue heron.

a cryel heron or a duuarf heron.

a myre dromble.

buttourum, aut bittourum, & Germani pittourum & roſdommum nominant: nam auis eſt toto corporis habitu ardeis reliquis ſimilis, ex piſcium uenatu ad ripas paludium & amnium uiuens, pigerrima & ſtolidiſsima, ut quæ in retia ab equo facticio agi poteſt facilimè. Colore eſt ferè, quantum memini, phaſiani, roſtro limo indito, aſininos ronchos uoce refert: oculos hominum auidiſsimè omnium auium appetit. Quare ſi quid impediat, quô minùs ſtellaris eſſe poſsit, (quod mihi nondum cernere datum eſt) phoica eſſe oportebit, quam Ariſtoteles oculos maximè appetere teſtatur, quanquam & cæteræ ardeæ idem facere ſæpè uiſæ ſunt. a buttour ein pittour. e.n roſdō. Phoix.

DE AVRIVITTE.

Χρυσομίτρις, nō ut quidam codices habent, χρυσομήτρης, auriuittis, Anglicè a gold finche, Germanicè eyn diſtelfinck, ader eyn ſtigelitz.

Auriuittis una eſt ex auiculis, quæ carduorum ſemine uictitant, & uermes etiam oblatos, non attingunt. Alij goldfincam, aut diſteluincam, ſpinum, alij carduelem eſſe uolunt. Sed ſi quis, ex ſpiniuoris præter hanc aliam aurea uitta redimitam oſtēderit, cui magis auriuittis nomen competat, quàm huic, opinionem meam facilè patiar explodi, alioqui non uideo, quin digna ſit, quæ probetur. Auriuittis

DE ATTAGENE.

Ἀτταγὴν, & ἀττάγας, attagen, attagena.

Attagen, ut ſcribit Ariſtoteles, gallinagini ſimilis eſt colore. Attagenam uarijs diſtinctam eſſe maculis, Ariſtophanes his uerſibus teſtatur:

Si quis ex uobis erit fugitiuus atq; uſtus notis,
Attagen ſanè apud nos uarius appellabitur.

Plinius de attagene.

Attagen maximè Ionius celebratur, uocalis aliàs, captus uerò obmuteſcit, quondam exiſtimatus inter raras aues. Iam & in Gallia Hiſpaniaq; capitur, & per alpes.

Petrus Gyllius.

Attagen, eſt perdice paulò maior, uerſicoloribus picta plumis in dorſo, & color ruffus eſt, ueſcitur grano, breuibus eſt alis, & puluerator eſt.

Falluntur igitur Britannici ludimagiſtri, qui ſuũ Wodcoccum attagenem faciunt, qui ſolis ueſcitur uermibus, & grana nunquam attingit. An attage-

nes apud Anglos inueniantur nec'ne, multùm ſanè ambigo. nam qui attagenem deſcribunt, marem à fœmina non ſeparant. unde colligo eundem fuiſſe colorem, & eandem figuram maris & fœminæ. Cæterum in hoc auium genere, quod apud nos ad attagenis formam proximè accedit, mas à fœmina ita differt ut duorum generũ, iſtiuſmodi rerũ imperito uideri poßint. Vtranque tamen auem deſcribam.

Mas gallo domeſtico paulò minor, totus niger eſt, excepta ea parte caudæ, quæ podicem tegit, ea enim alba eſt. Cæterũ nigredo huius nonnihil ſplendeſcit, ad eum ferè modum, quo columborum nigrorum torques circa colla ſplendeſcunt. ad uiriditatem igitur proximè accedit. in capite rubrum quendam habet, ſed carneum cirrũ, & circa genas duos habet ueluti lobos rubros, & eos carneos. Fœmina tota maculis diſtincta eſt, & à perdice, niſi maior eſſet, & ruffa magis, ægrè dignoſci poßit. In deſertis locis & planis, erica potißimùm conſitis, ambo degunt. grano ueſcuntur, et ſummis ericæ germinibus. Breues habent alas, & breues faciunt uolatus. Hæc auis, ſi attagen nõ ſit, gallina uidetur eſſe Varronis ruſtica. Eraſmus in Adagio, Attagenæ nouilunium, attagenam auem paluſtrem facit, & uarijs maculis diſtinctam. quod ſi ſatis exploratum mihi

eßet, Anglorum goduuittam, ſiue fedoam, attagenam eſſe, indubitanter auderem adſirmare. Eſt autem ipſa gallinagini ita ſimilis, ut niſi paulò maior eſſet, & pectoris color magìs ad cinereũ uergeret, altera ab altera difficulter poßit diſtingui. uiuit in locis paluſtribus, et ad ripas fluminũ. roſtrum habet longum, ſed capta triticum non ſecus atque columbi, comedit. triplo pluris quàm gallinago apud nos uenditur, tantopere eius caro magnatum palatis arridet: harum ſi neutra ſit attagena, attagenam nuſquam uidi.

DE ATRICAPILLA.

Μελαγκόρυφος, *atricapilla, Germa. ut creditur,* eyn graſmuklen.

Ariſtoteles.

Atricapillam etiam plurima edere aliqui referunt, ſed poſt Africam ſtrutionem. Iam uel decem & ſeptẽ oua atricapillæ reperta ſunt. ſed plura etiam quàm uiginti parit, & numero impari ſemper ut narrant. Nidificat ea quoq; in arboribus, & uermiculis alitur. Proprium

huius

huius & luſciniæ præter cæteras a-
ues, ut linguæ ſummæ acumine care
ant. Ficedulæ & atricapillæ uicibus
commutantur. Fit enim ineunte au
tumno ficedula, ab autumno proti
nus atricapilla, nec inter eas diſcri-
men aliquod, niſi coloris & uocis
eſt. Auem eſſe eandem cõſtat, quia
dum immutaretur hoc genus, utrũ
que conſpectum eſt, nondum abſo
lutè mutatum, nec alterutrum ad-
huc proprium ullum habens appel
lationis. Hæc Ariſtoteles.

*Atricapillam in Anglia nunquam uidi, neq; ſæ-
pius in uita quàm ſemel, idq; in Italia in domo Du-
cis Ferrarienſis. Eamq; mihi uir utriuſq; linguæ nõ
uulgariter doctus, D. Franciſcus, duci à ſacris con
cionibus exhibuit. Anglorũ lingettæ, & Germano
rum graſmuco, quod ad corporis magnitudinem at
tinet, ſimilis erat: ſed atrum habebat caput, & re
liquum corporis colorem magis ad cinerium uer-
gentem.*

DE BVBONE.

Βύας, *bubo*, *Anglicè*, *a lyke ſoule*, *Germanicè* cyn ſchuffauß/ cyn ſchůffel/ cyn kautz.

Ariſtoteles.

Bubo è noctuarum genere eſt, & noctuæ ſpecie quidem ſimilis, ſed magnitudine non minor quàm aquila.

Plinius.

Bubo funebris, & maximè abominatus, publicis præcipuè auſpicijs, deſerta incolit, nec tantùm deſolata, ſed etiam inacceſſa: noctis monſtrum, nec cantu aliquo uocalis, ſed gemitu. Volat nũquam quò libuit, ſed tranſuerſus aufertur. Hęc Plinius.

Hanc auem ſemel Venetijs iuſta aquilæ magnitudine uidi, ſed crura erant paulò breuiora quàm aquilæ crura ſolent eſſe. Cætera aquilæ ſimilis erat.

DE

DE BOSCA.

Boſca, auis eſt aquatica, anati ſimilis, ſed minor. Quum multæ ſint aues aquaticæ anati ſimiles, ſed minores, ut ſunt, telæ uocatæ ab Anglis Vuigene & pochardæ, eam puto boſcam eſſe, quæ proximè ad magnitudinem & ſimilitudinem anatis accedit. Hoc quum pocharda faciat, illam Ariſtotelis eſſe boſcam iudico.

DE CAPRIMVLGO.

Caprimulgus, αἰγοθήλας.

Ariſtoteles.

Caprimulgus, auis eſt montana, 7 magnitudine paulò maior, quàm merula, minor quàm cuculus, moribus mollior. Parit duo oua, aut tria cùm plurima. Sugit, caprarum ubera aduolans, unde nomen accepit. Cùm uber ſuxerit, extingui, capramq; excæcari aiunt, parùm clarè interdiu uidet, ſed noctu perſpicax.

Plinius.

Caprimulgi appellantur grandiores merulæ aſpectu, fures nocturni, interdiu etiam uiſu carent.

Cùm eſſem apud Heluetios, ſenem quendam conſpicatus, capras paſcentem in montibus, quos herbas quærendi gratia aſcenderam, rogabam num auem nouiſſet merulæ magnitudine, interdiu cæcam, noctu perſpicacem, quæ caprarum ubera noctu ſugere ſoleat, unde capræ poſtea cæcæ euadunt? qui reſpōdit, ſe in Heluctiorum montibus ante quatuordecim annos, multos uidiſſe, & multas iniurias ab ipſis paſſum, ut qui ſemel ſex capellas à caprimulgo occæcatas habuerat. cæterū nūc omnes ad unum ab Heluetijs uſque ad inferiores Germanos, ubi hodie non ſolùm capras lacte priuant & occæcant, ſed & oues inſuper occidunt, auolaſſe. Nomen auis quærenti, paphum, id eſt, ſacerdotem dici reſpōdit. Sed uetulus ille mecū fortè iocatus eſt. Ego uerò, ſiue iocatus fuerit, ſiue ſeriò locutus, aliud Germani cū caprimulgi nomen quā quod me docuit iſte, non teneo. Si qui ſint, qui melius & aptius nomen in prōptu habeant, proferant.

DE CARDVELE.

Carduelis, ſi Gazæ credimus, Græcè θραυπὶς *dici-*

dicitur. & inter ſpiniuoras auiculas Ariſtoteles recenſet. Nec plura de carduele apud Ariſtotelem lego. Plinius ſcribit cardueles auium minimas imperata facere, nec uoce tantùm, ſed pedibus & ore pro manibus.

Præter auiculam illam ſpiniuoram aurea uitta redimitam, aliam noui ſpiniuoram colore uiridem, quæ non ſecus atq; auriuittis roſtro è duabus ſitulis uiciſſim aſcendentibus & deſcendentibus, cibum ex una, & potũ ex altera deſumit. Quin & hoc facit miliaria, quam limotam noſtrates appellant. Eadẽ quoq; hominẽ quiduis cãtantẽ, uoce imitatur. Quare nõ ſola illa, quæ Græcè θραυπίς, & Latinè Theodoro carduelis dicitur, imperata facit, & roſtro & pedibus pro manibus utitur.

Dictu mihi difficile uidetur, quamnam è tribus, quum omnes illæ carduorum ſemine ueſcantur, Plinius carduelem fecerit, nũ thraupin aut acanthin, aut chryſomitrẽ. Si thraupin, ut Gaza credit, auis illa aureis plumis carduelis non erit: nam illa apud Ariſtot. nõ θραυπὶς, ſed Chryſomitris eſt. Quænã igitur auis carduelis ſit, non audeo pronunciare.

DE COERVLEONE.

Κυανός, cœruleo, Anglicè, a clotburd, a ſmatche, an arlyng, a ſteinchek, German. eyn brech uógel.

Ari-

Ariſtoteles.

Cœruleo maximè in Scyro colit, ſaxa amans: magnitudine minor quàm merula, maior paulò quã fringilla: pede magno eſt, ſcanditq; ſaxa: colore cœruleo: roſtro tenui & longo: crure breui, ſimiliter ut pipo eſt.

Cœruleo, ſi ea ſit auis, quam conijcio eſſe, in cuniculorum foueis, & ſub lapidibus in Anglia nidulatur, & in hyeme non apparet.

DE CERTHIA.

Ariſtoteles.

Certhia, auicula eſt exigua, cui mores audaces, domicilium apud arbores, uictus ex coſſis, ingenium ſagax in uitæ officijs.

Auis eſt quædam, quam Angli creperam, id eſt, reptitatricem nominant, quòd ſuper arbores ſemper repat, quam certhiam eſſe credo. Ea regulo paulò maior, pectore pallido, cætera fuſca & maculis nigris diſtincta eſt, uoce acuta eſt, & roſtro

ſtro tenui, & leuiter in fine adunco, nunquam quieſcit, ſed ſemper per arbores picorum more ſcandit, & coſſos è corticibus eruens, comedit.

DE CICONIA.

πελαργός, ciconia, Anglicè a ſtork, Germanicè eyn ſtorck, & Saxonicè eyn ebeher.

Ciconia, ut Germanis auis eſt notiſſima, ita Britannis meis pleriſq; omnibus tam ignota eſt, quàm quæ omnium ignotiſſima. Nec mirum, quum nuſquam in inſula noſtra niſi captiua Ciconia uideatur. Apud Germanos in ſummis tectis, aliquando in ipſis ſummis fumarijs nidulatur. Auis eſt mediæ magnitudinis inter gruem & ardeam, pennis albis & nigris diſtincta: crura longa habet, roſtrum gruinum, ſed rubrum & craſſum: circa lacus & paludes degit, ranas, bufones, angues, & piſces comedens.

Plinius de ciconijs.

Ciconiæ, quónam è loco ueniant, aut quò ſe referant, incompertum adhuc eſt. E longinquo uenire, non dubium, eodem, quo grues modo, illas hyemis, iſtas æſtatis aduenas. Abituræ congregantur in loco certo:

certo: comitatæq́; , ſic ut nulla ſui generis relinquatur, niſi captiua & ſerua, ceu lege prædicta die recedũt. Nemo uidit agmen diſcedentium, cùm diſceſſurum appareat, nec ueni re, ſed ueniſſe cernimus. Vtrumque nocturnis fit temporibus. Ciconiæ nidos eoſdem repetunt, & genetri cum ſenectutem educant.

DE CINCLO.

κίγκλος, ἢ σεισοπυγίς, Anglicè a uuater ſuuallouu, Germanicè eyn ſteynbiſſer.

Ariſtoteles.

Cinclus ex mari & fluuijs uictũ petit. aſtutus eſt, & captu difficilis: ſed captus, omnium maximè miteſ ſcit. Lęſus hic eſt, incontinens enim parte ſui poſteriore.

Auicula, quā ego cinclũ eſſe puto, galerita paulò maior eſt, colore in tergo nigro, uentre albo, tibijs longis, & roſtro neutiquam breui: uere circa ripas

flumi

fluminum, ualde clamoſa eſt & querula, breues & crebros facit uolatus.

DE CHALCIDE.

Ariſtoteles.

Chalcis rarò apparet, montes etenim incolit. nigro colore eſt, magnitudine accipitris, quem palumbarium nominant: forma longa ac tenui, Iones cymindem appellant. cuius Homerus etiam meminit in Iliade cùm dicit:

Chalcida dij perhibens, homines dixêre cymindem.

Sunt, qui eandem hanc auē non aliam eſſe atque ptyngem uelint. Interdiu minùs apparet, quia non clarè uidet, ſed noctu uenatur, more aquilæ: pugnat uerò cum aquila adeò acriter, ut ſæpius ambæ, implexæ, deferantur in terram, & uiuę à paſtoribus capiantur. Parit hęc oua duo, & ſaxis ſpeluncisq; nidulatur.

De

DE COLLVRIONE.

Κολλυρίων, collurio, Anglicè, a feldfare, aut a feldefare. Quibuſdã Germa. eyn kramneſuógel.

Ariſtoteles.

Collurio iiſdem, quibus merula ueſcitur, magnitudo eius eadem, quæ ſuperioribus, id eſt, uireoni & mollicipiti, capitur potius hyberno tempore.

Auis, quam collurionem eſſe puto, turdum magnitudine æquat, ſed caudam habet longiorem, & magis mobilem, & pectus maculoſum. In æſtate apud nos aut rarò aut nunquam uidetur: in hyeme uerò tanta copia eſt, ut nullius auis maior ſit. baccis aquifoliæ arboris, ſorbi minimæ, & ſimilium arborum ueſcitur. gregatim uolat, & inter uolandum obſtrepera eſt.

DE COLVMBIS.

Περιστερά, columba, Anglicè a doue, Germanicè eyn taube. Saxonicè eyn duue.

Ariſtoteles.

Columbacei uerò generis plures ſpecies ſunt. Eſt enim liuia à liuore Liuia.

dicta

dicta, diuerſum certè à columba genus, quippe minor quàm columba ſit, & minùs patiens manſueſcere: liuet enim plumis, & penè nigricat, & pedibus rubris ſcabroſisq́; eſt. Quas ob res, nullus id genus cellare alit. Maximo inter hęc genera ſunt corpore palumbes. Secundum magnitudinis locum uinago obtinet, paulò maior quàm columbus eſt. Minimum ex his turtur eſt. pariunt columbæ omnibus anni temporibus, pulloſq́; educant ſi locum apricum habeãt & cibum. Sin minùs, æſtate tantummodo fœtant. Sed proles præſtantior uere eſt, quàm autumno, deterrina æſtate, & omni tempore calidiore.

Palumbes

Vinago.

Turtur.

De iiſdem in alio libro ad hunc modum ſcribit.

Alia frugibus uiuunt, ut palumbes,

columbus, uinago, turtur. Viſuntur ſemper columbi, atque palumbes, ſed turtur æſtate tantũ, hyeme ſe condit latitat enim ſuo tempore. Vinago autumno & conſpicitur, & capitur, cui magnitudo maior, quàm columbo, minor quã palumbi eſt.

Liuia. *πελειάς, quæ liuia Latinè dicitur, eſt ſylueſtris illa columba, quam* Angli *a ſtocdoue, &* Germani *eyn holtz taube nominant.*

Palumbes *φάττα, Latinè palumbes ſiue palumbus, dicta ab Anglis a coushot a ringged doue, & à Germanis* eyn ringel taube *appellatur. Hæc longè aliter atque liuia nidulatur. Nidificat autem liuia in cauis aliquando arboribus, interdum & in templorum muris. Palumbes uerò in condenſa hedera, aut ſuper ramum arboris ex pauculis ligniculis tranſuerſim poſitis, tenuiſſimum nidum conſtruit. Quòd ſi quis mihi parùm hac in re fidat, torquatos columbos eſſe palumbes ueterum, Ariſtotelem diligentiùs legat, & Martialem poëtam de ijſdem ita ſcribentem audiat,*

Ingui

Inguina torquati, tardant hebetantq; palumbi
Non edat hanc uolucrem, qui uolet eſſe ſalax.

Politianus de palumbis ita ſcribit:

Dum ſua torquatæ repetunt dictata palumbes.

Turtures in Germania ſunt multò frequentiores quã in Anglia. Turturem Angli & Saxones communi uocabulo turtel duue *nominant.* Τρυγών. Turtur.

ὀινὰς, *quæ Latinè uimago dicitur, mihi nunquã hactenus uiſa eſt, nec quid habeat nominis apud noſtros, aut apud Germanos compertum habeo. Vidi tamen Venetijs columbos hijs noſtratibus ſeſquialtera portione maiores: ſed hos non uimagines fuiſſe credo, ſed columbos è Campania ad Venetos aduectos, ubi Plinius columbos ſcribit eſſe grandiſſimos.* Vinago.

DE COTVRNICE.

ὄρτυξ. *coturnix, Anglicè* a quale, *Germanicè* eyn wachtel

Plinius.

Coturnix parua auis, & cùm ad nos uenit, terreſtris potiùs quàm ſublimis. Aduolant & hę ſimili modo, quo grues & ciconiæ, non ſine periculo nauigantium, cùm appro-

pinquauere terris. Quippe uelis ſæpè inſidunt, & hoc ſemper noctu, merguntq́; nauigia. Coturnicibus, ueratri, ſiue ut alij legunt, ueneni: ſemen gratiſſimus cibus. quam ob cauſam eas damnauere menſæ, ſimulq́; comitialē propter morbum deſpui ſuetum, quem ſolę animaliū ſentiunt præter hominem.

Quæ, quum ita ſe habeant, demiror quis malus genius Britannis meis in mentem immiſit, ut eas tantopere in delicijs habeant, quum tot malis, ueneno ſcilicet, et comitiali morbo, illarū caro ſit obnoxia. Coturnix perdici ſimilis eſt: ſed multis partibus minor. Coturnix, ut ſcribit Ariſtot. hoc ſibi peculiare & proprium uindicat, ut & ingluuiem, & gulam propè uentriculum amplam & latam habeat.

DE CORNICE.

Κορώνη, *cornix, Anglicè a crouu, Germanicè eyn krac, & eyn kaeg. Cornix auis eſt omniuora, nam carnes, piſces, & grana interdum uorat, circa littora maris, & ripas fluminum multùm uerſatur, ut ea animalia, quæ unda eiecit, tangat. Cor-*

nix tota nigra eſt. & media magnitudine inter monedulam & coruum.

Eſt & marina quædam cornix, quam aliqui hybernam cornicem uocant, capite, cauda, & alis nigris, cætera cineria: an hanc aliquando uiderint Ariſtoteles & Plinius, dubito: nam de ea nuſquam mentionem fecerunt. Supereſt adhuc & alia cornix granivora, roſtro albo, cætera nigra. Hāc σπερμολόγον, id eſt, frugilegam Ariſtotelis Longolius eſſe coniecit.

DE CORVO.

Κόραξ, coruus, Anglicè a rauen, Germanicè eyn rabe. Coruus, quum ſit auis cornice maior, tota nigra & carniuora, omnibus ſatis notus eſt. Corui locis arctioribus & ubi ſatis pluribus non ſit, duo tātùm incolunt, & ſuos pullos cùm iam poteſtas uolandi eſt, primùm nido eijciunt, deinde regione tota expellunt. Parit coruus quatuor aut quinq;.

DE CVLICILEGA.

Κνιπολόγος, culicilega, Anglicè a uuagtale, Germanicè eyn waſſer ſteltz. eyn quikſtertz.

Ariſtoteles.

Culicilega, magnitudine eſt quāta ſpinus, colore cinerea, diſtincta

maculis, uoce parua, quæ & ipſa li-
gnapeta eſt.

Culicilegam eſſe iudico auiculam, quam aliqui motacillam nuncupant. eſt autem illa albo & nigro uariè diſtincta, cauda longa, quam ſemper motitat. degit plurimum ad ripas fluminum, ubi muſcas captat & uermiculos. quin & aratrum uermium cauſa ſequitur, quos uerſat & exhibet cum gleba aratrum.

DE CVCVLO.

Κόκκυξ, cuculus, Anglicè a cukkouu, & a gouke, Germanicè eyn kukkuck.

Ariſtoteles.

Cuculus ex accipitre fieri, immutata figura, à nonnullis putatur: quoniam quo tempore is apparet, accipiter ille, cui ſimilis eſt, non aſpicitur. Sed ita ferè euenit, ut ne cæteri item accipitres cernãtur cùm primam uocem emiſit cuculus, niſi perquàm paucis diebus. Ipſe autem breui tempore ęſtatis uiſus, hyeme nõ cerni

cernitur. Eſt hic neque aduncis unguibus, ut accipiter, neq; capite accipitri ſimilis: ſed ea utraque parte columbum potiùs quàm accipitrem repræſentat. Nec alio quàm colore imitatur accipitrem, niſi quòd maculis diſtinguitur, ceu lineis, cuculus uelut punctis. Magnitudo atq; uolatus ſimilis accipitrũ minimo, qui magna ex parte non cernitur per id tempus, quo cuculus apparet. Nã uel ambo unà uiſi aliquando ſunt. Quin etiam ab accipitre interimi cuculus uiſus eſt, quod nulla auis ſuo in genere ſolet facere. pullos cuculi nemo ait ſe uidiſſe. parit tamẽ, uerùm non in nido, quem ipſe fecerit, ſed interdum in nidis minorum auium, & oua, quæ aliena reperit, edit; maximè uerò nidos palũbium

petit, quorum & ipſorum oua eſu abſumit, ſua relinquens: parit maiori ex parte ſingula oua, raro bina. Curucæ quoque in nido parit, fouet illa & excudit & educat. Quo quidem præcipuè tempore & pinguis & grati ſaporis pullus cuculi eſt. Genus eorum quoddam nidos facere procul in petris excelſis, præruptisq́; aſſolet.

Curuca a titlyng.

Cuculum hic nobis ſatis graphicè depinxit Ariſtoteles, ſi curucam eadem diligentia deſcripſiſſet, non fuiſſet hodie tam omnibus ferè incognita quã nunc eſt. Ego *ſuſpicor* Anglorum *titlingam eſſe curucam Ariſtotelis.* Nam *nullam auem in uita frequentius cuculi pullum ſequentem, & pro ſuo educantem, quam illam obſeruaui.* Eſt *autem illa luſcinia minor, ſed eadem corporis figura, colore ſubuiridi, culices & uermiculos in ramis arborum ſectatur, raro humi conſiſtit, hyeme non cernitur.*

De crece ex Ariſtotele.

Sed cũ omnibus quaterni digiti ſint,

ſint, tres parte priore habentur, u-
nus parte poſteriore pro calce, ut tu
te ſit, qui minutus ineſt ijs, quæ lon
ga habent crura, ut in crece euenit.
Eſt autem crex moribus pugnaci-
bus, ingenio ualens ad uictum, ſed
cætera infœlix.

Eſt auis quædam apud Anglos, longis cruribus, cætera coturnici, niſi quòd maior eſt, ſimilis, quæ in ſegete & lino, uere et in principio æſtatis non aliam habet uocem, quàm crex crex: hāc enim uocem ſemper ingeminat, quam ego Ariſtotelis crecem eſſe puto. Angli auem illam uocant a daker hen, Germani eyn ſchryk. nuſquam in Anglia niſi in ſola Northumbria uidi & audiui.

De Diomedeis auibus ex Plinio.

Nec Diomedeas præteribo aues.
Iuba cataractas uocat, & eis eſſe dē
tes, oculoſq; igneo colore, cætera
cādidos tradēs. Duos ſemper ijs du

ces,alterum ducere agmen,alterum cogere. Scrobes excauare roſtro,inde crate cōſternere,&operire terra, quæ antè egeſta fuit, in his fœtificare. Fores binas omniū ſcrobibus, orientem ſpectare, quibus exeant in paſcua, + occidentem,quibus redeant. Aluum exoneraturas ſubuolare ſemper,&contrario flatu. Vno hæ in loco totius orbis uiſuntur, in inſula,quam diximus nobilem Diomedis tumulo,atque delubro,contra Apuliæ oram,fulicarum ſimiles. Aduenas barbaros clangore infeſtant. Græcis tantùm adulantur, miro diſcrimine,uelut generi Diomedis hoc tribuētes,ædemq; eius quotidie pleno gutture madētibus pennis perluunt.

+occaſum

DE FICEDVLA.

συκαλ

Συκαλὶς, ficedula Latinè dicta, non eſt Germanorum ſneppa, quæ locis gaudet humidis, & ſolis uermibus ueſcitur: ſed auicula Germanorum graſmuſcho ſimilis, ficubus & uuis uictitās, ut pulchrè his uerſibus Martialis teſtatur:

Cùm me ficus alat, & paſcar dulcibus uuis,
Cur potiùs nomen non dedit uua mihi?

DE FRINGILLA.

Σπίζα, fringilla, Anglicè a chaffinche, a sheld appel, a ſpink, Germanicè eyn bůchfink.

Fringillæ, autore Ariſtotele, æſtate tepidis locis, & hyeme, frigidis degunt, & inde puto apud Latinos nomen accepiſſe, quòd in frigore plures conuolantes apud nos cernantur, quàm æſtate. Paſcerem magnitudine æquat, uarijs coloribus, albo nempe, uiridi & ruffo diſtincta eſt. maris pectus rubeſcit, fœminæ palleſcit: cantat mas primo uere. Nidulatur fringilla in ſummis fruticum ramis, aut arborum infimis, nidumq; intus ex lana, foriſq; ex muſco facit.

DE MONTIFRINGILLA.

Ὀρεοσπίζης, mōtifringilla, Anglicè a bramlyng, Germanicè eyn rowert.

Ariſtoteles.

Montifringilla fringillæ ſimilis

eſt.

eſt, & magnitudine proxima: ſed collo cœruleo eſt, & in montibus degit, unde nomen accepit.

Auicula, quam ego montifringillam eſſe credo, fringillæ magnitudine & corporis figura ſimilis eſt: ſed mas in collo plumas habet cœruleas, quas nõ æquè promptè in fœmina depræhendas. Roſtrum *luteum eſt, & alæ uarijs coloribus, albo, nigro, & luteo nimirum diſtinguũtur, ut auriuittis.* Vox *illi inſuauis & ſtridula eſt.*

De Floro ex Ariſtotele.

Anthos, ſiue florus, uermibus paſcitur, & magnitudo illi, quanta fringillæ eſt. uictitat circa aquas & paludes, & ei color pulcher eſt, & uita commoda, odio equum habet, pellitur enim ab equo pabulo herbæ, qua ueſcitur. Nubeculans, nec ualens oculorum acie eſt, quippe qui uocem equi imitetur, atque aduolans equum fuget: ſed interdum

exci

excipiatur occidaturq́; ab equo. In ægithum florus tantum odium gerit, ut ne mortuarum auiũ ſanguis poſſe miſceri dicatur.

DE FVLICA.

κέπφος, fulica, Anglicè a uuhite ſemauu uuith a blak cop. Germanicè, eyn wyß mewe.

Recentiores Græci, *qui poſt Ariſtotelem ſcripſerunt, larum & cepphum eandem auem fecerunt, ut* Eraſmus in Adagio, *λάρος κέπφος, ex Ariſtophane & eius interprete oſtendit. Ariſtoteles uerò duas facit diuerſas aues libro de hiſtoria animalium octauo his uerbis, ἔτι δὲ λάρος ὁ λευκός καὶ κέπφος. Iam quá nam ratione autores iſtos conciliē, neſcio, niſi dicam poëtas rerum peculiares & proprias notas, & diſcrimina, philoſophis multò negligentiùs obſeruantes, aues corporis figura, natalibus, & uictus ratione ſimiles, licet manifeſtis notis differentes, eaſdem aues feciſſe, quas ſeueriores philoſophi ad amuſsim omnia expendentes, in diuerſas ſpecies diſtinxerunt.*

Sed inter huius ætatis grammaticos, non minor eſt opinionum uarietas de fulica, quæ nam illa ſit, quàm inter Græcos *de nomine controuerſia fuit.*

Sunt

Sunt enim in inferiori Germania literatores aliqui, qui fulicam kyuuittam ſuam eße uolunt, ex eo forſan opinionem ſuam adſtruentes, quòd apud Plinium fulicæ cirrum tribui legerint. Eſt autem Germanorum kyuuitta cornice minor, plumis ferè uiridibus, et nigris per totum dorſum et caput et collū: uentre albo, longa, & ſemper erecta in capite: criſta plumea, alis obtuſioribus, & inter uolandum magnum ſtrepitum êdentibus, unde & uannellus à barbaris dicitur: aquis uermium gratia quibus ſolis uictitat, appropinquat, ſed ipſas non ingreditur, in planis & in locis erica conſitis, plurimùm degit. Ad depopulandum uermes, noſtrates in hortis ſæpè alunt.

Anglorū lapuuinga.

Sed hanc eſſe fulicam non patitur, quod Vergilius de fulica Georgicorum primo ad hunc modum ſcribit:

Iam ſibi tum curuis malè temperat unda carinis,
Cùm medio celeres reuolant ex æquore mergi,
Clamoremq; ferunt ad littora, cumq; marinæ
In ſicco ludunt fulicæ.

Hinc ſatis liquet kyuuittam non eſſe fulicam, quum non ſit auis marina nec aquatica. Non deſunt qui fulicam gallinam illam nigram aquaticam, alba in fronte macula, eſſe uolunt. Sed iſti Vergil. et Ariſtote

ſtotelis autoritate facilè erroris conuincuntur, quorum alter auem facit marinam, alter, nempe Ariſtoteles lib. octauo hiſtoriæ animalium, apud mare uiuere teſtatur. Quare quum paluſtris illa gallina neque auis ſit marina, neq; apud mare uictum petat, ſed in ſtagnis, paludibus, & recentibus aquis perpetuò degat: nec Vergilij fulica, nec Ariſtotelis κέπφος eſſe poterit. Sed iam reſtat, ut quam auem fulicam eſſe iudicem, oſtendam.

Eſt auis marina, magnitudine monedulæ, ſed alis acutioribus & longioribus, colore tota albo, excepto nigro, quem in capite gerit cirro: roſtro etiam & pedibus puniceis. Hanc ego ſæpè in mari nauigans, ex eo tempore, quo hiſtoriam animalium Ariſtotelis legeram, conſideraui, tũ præſertim, quando uel deficiente uento, uel flante contrario, emiſſa anchora, uentum ſequundiorem quieſcentes expectauimus. Hæc ſtatim ſoluta anchora, gauijs comitata aduolat, ex purgamentis nauis eiectis, eſcæ nonnihil ſibi promittens, diutino clangore defatigata, tandem keph profert, ut lari cob. unde à noſtris marini cobbi dicuntur. Fieri poteſt, ut in fulicarum genere quædam ſint cinereæ, licet Plin. ubi ex autoritate Iubæ Diomedeas aues, fulicis ſimiles albas eſſe tradit, uideatur fulicas omnes albas facere,

re,nam non de eo,quod rarius,ſed frequentius accidit,in genere loquuntur claßici ſcriptores. Nidulãtur lari & fulicæ in eiſdem locis,in excelſis nempe petris,& marinis rupibus.

DE GAVIA.

Λάρος,gauia,a ſe cob or a ſeegell.

Gauiarum duo genera Ariſtot.facit:alterum album,quod apud mare,alterum cinerium,quod circa lacus & fluuios uictum quærit. Gauia alba à fulica parùm differre arbitror,ſolo nimirum cirro et roſtro. Gauia cinerea, quæ ad flumina & lacus aſcendit,querula ſemper & clamoſa eſt. piſciculos captat,& uermes ad ripas lacuum. huius generis eſt & alia parua auis,noſtrati lingua ſterna appellata,quæ marinis laris ita ſimilis eſt,ut ſola magnitudine & colore ab illis differre uideatur:eſt enim iſte larus,marinis minor & nigrior. Tota æſtate tam improbè clamoſa eſt, quo tempore parturit, ut iuxta lacus & paludes degentes, ĩmmodico clamore tantum nõ obtundat. hãc ego ſanè auem eſſe credo, cuius improba garrulitas adagio, Larus parturit, locum fecit. uolat ferè perpetuò ſuper lacus & paludes,nunquã quieſcens, ſed prædæ ſemper inhians. Nidulatur hæc in denſis arundinetis. Marinæ gauiæ in petris & rupibus maritimis nidificant.

DE GALERITA.

Κόρυδος, ἢ κορυδαλλός, *Ang. a lerk or a lauerock,* Germa. eyn lerch. *Plinius naturalis hiſtoriæ undecimo libro, galeritam* Gallico *uocabulo, poſtea alaudam eße dictam oſtendit. quare galeritæ potiùs uocabulo, quàm alaudæ* Latinis *utendum eſſe ex autoritate* Plinij *cenſeo.*

Ariſtoteles de galeritis.

Galeritarum duo ſunt genera: alterum terrenum criſtatum, alterũ gregale. nec ſingulare more alterius, uerìm colore ſimile, quãquam magnitudine minus, & galero carẽs, cibo uerò idoneũ, galeritæ nunquã in arbore conſiſtunt, ſed humi.

Prius hoc Ariſtotelis genus uariam habet in uarijs regionibus criſtam, alicubi ſemper apparentem: in alijs locis talem, ut pro arbitratu ſuo poßit erigere aut deponere, quũ una eademq; ſit utriuſq; auis magnitudo. & galeritam hanc maiorem, Angli propriè lercam nominant. Alterum genus Ariſtotel. à noſtris fera alauda, à Germanis heid lerch *nominatur, in planis & locis erica conſitis, & ad* a uuilde lercor a heth lerk.

ripas lacuum, uermium cauſa, quibus uictitat, magna ex parte degit. Duplo ferè ſuperiore minus eſt, & roſtro tenui, & carne longè ſuauiſsima.

a uuodlerck.

Supereſt tertium galeritæ genus, Germanis copera, à lõgiſsima criſta, ut arbitror, ita dictum, Ariſtoteli planè incognitum: nam prius Ariſtotelis genus eſſe non poteſt, quia minor eſt quàm ut illud eſſe poſsit: minùs autem illud genus eſſe non poteſt, quia galerum habet, qui Ariſtotelis poſteriori generi deeſt. Quare galerita iſta, Ariſtoteli fuit incognita. Et cùm Colonienſes aucupes coperam (quæ mediæ eſt magnitudinis inter Ariſtotelis galeritam criſtatam, & non criſtatam) concordibus adfirment ſuffragijs, hanc nullã habere peculiarem cantiunculam, ſed ineptè aliarum, quibus cum uictitat, auium uoces referre, adducor planè ut credam hanc eſſe recentiorum Græcorum corydon, cuius in ſequenti adagio mentio eſt: ἐνάμουσοις ϗ κόρυδος φθέγγεται, & in hoc uerſu:

εἰ κύκνῳ δύναται κόρυδος παραπλήσιον ᾄδειν.

Nã galeritã maior, pulchrè & ſuauiter cantat, & minorem cantu non minùs ualere tradunt aucupes. Hæc igitur quum uoce nihil poſsit, ſed ineptè tantùm aliarum uoces, ſuo garritu mentiri, recentiorum Græcorum erit corydos.

De

DE GALLIS ET gallinis.

Ἀλέκτωρ, gallus, Anglicè a cok, Germanicè eyn hān. *Ἀλεκτορίς, gallina, Anglicè a hen, Germanicè,* eyn hen. *Saxones dicunt* eyn hōn.

Varro de re ruſtica libro tertio.

Gallinæ ruſticæ, ſunt in urbe raræ, nec ferè manſuetę ſine cauea uidentur Romæ, ſimiles facie non his uillaticis gallinis noſtris, ſed Africanis aſpectu, ac facie incontaminata. In ornatibus publicis ſolent poni cum pſiticis ac merulis albis, item id genus rebus inuſitatis. Neque ferè in uillis oua ac pullos faciunt, ſed in ſyluis. **Ruſticæ gallinę.** **Villaticę.**

Gallinæ Africanæ, ſunt grandes, uariæ, gibberæ, quas Meleagrides Græci appellant. Hæ nouiſſimæ in triclinium ganearium introierunt, **Africanę. Meleagrides.**

è culina propter faſtidium hominū. Venerunt propter penuriam magno. De tribus generibus, gallinæ ſaginantur maximè uillaticę. Eas includunt in locum tepidum & anguſtum & tenebroſum, quòd motus earum & lux pinguedini inimica, electis ad hanc rem maximis gallinis, nec continuò his, quas Melicas appellant falſò, quòd antiqui ut thetim thelim dicebāt, ſic Medicā Melicā uocabant. Hæ primò Medicę dicebantur, quia ex Media propter magnitudinem erant allatæ.

Gallus medicus a bauncok or a cok of kynde.

Columella.

Gallinarū alię ſunt cohortales, alię ruſticę, alię Africanę. Cohortalis eſt auis, quæ uulgò per omnes ferè uillas conſpicitur. Ruſtica, quæ non diſſimilis uillaticę, per aucupem decipi-

Cohortalis.

Ruſtica.

cipitur, eaq; plurima eſt in inſula, quã nautæ in Liguſtico mari ſitam, producto nomine alitis, gallinariã uocitauerunt. Africana eſt, quam plerique Numidicam dicunt, meleagridi ſimilis, niſi quòd rutilam galeam, & criſtam capite gerit, quæ utraque in Meleagride ſunt cœrulea. Africana.

Plinius.

Simili modo pugnant Meleagrides in Bœotia. Africæ, hoc eſt gallinarum genus gibberum, uarijs ſparſum plumis, quę nouiſſimę ſunt peregrinarum auium in menſis receptæ, propter ingratum uirus: uerùm Meleagri tumulus nobiles eas fecit. Africæ.

Ariſtoteles.

Item Hadrianæ paruo quidem

ſunt corpore, ſed quotidie pariunt. Ferociunt tamen & pullos ſæpè interimũt. Color his uarius. Oua alia candida ſunt, ut columbarum & perdicum, alia pallida, ut paluſtrium, alia punctis diſtincta, ut Meleagridum & phaſianorum.

In paucis iſtis, quos recenſui autoribus, nõ paucæ ſunt de rebus, quas tractauêre, cõtrouerſiæ. Varro *primũ gallinas ruſticas non uillicatis ſed* Africanis *ſimiles eßeſcribit.* Columella *autẽ ruſticam non dißimilem eße uillaticæ tradit.* Varro *Africanas, meleagrides facit, quod & Plinius etiam facere uidetur.* Columella *autem uarijs notis Africanas à meleagridibus diſtinguit.* Ariſtoteles Hadrianas *gallinas facit uarias, ut* Plinius *itidem facit, & paruo corpore.* Varro *Africanas, quas non alias eſſe conſtat quàm* Hadrianas, *uarias & grandes facit. Verùm tanta autorum inter ſe dißidia componere, penes me non eſt. Sed quid de generibus iſtis ſentiam, paucis aperiam.* Gallina *apud nos ruſtica nuſquam reperitur, ſi gallina illa, quam morhennam uocant, non ſit, quam uarijs de cauſis antè attagenem eſſe*

conie-

conieci. Columellæ meleagrides uidentur illæ eſſe aues, quas nonnulli pauones Indicos appellant: nam illas paleis & criſtis cœruleis eſſe, in confeſſo eſt. a kok of inde.

DE GALLINAGINE.

Ασκαλώπαξ, gallinago, Anglicè a uuod cok, Germanicè eyn holtz ſnepff.

Ariſtoteles.

Gallinago per ſepes hortorum capitur, magnitudine quanta gallina eſt, roſtro longo, colore attagenæ, currit celeriter, & hominem mirè diligit. Hæc in arbore nunquam ſedet, & humi nidulatur.

Gallinagines apud noſtrates nunquam, niſi hyeme uidentur, quare de prole & modo nidulandi, nihil habeo, quod dicā. Capitur apud Anglos diluculo potiſsimùm & crepuſculo in ſyluis, retibus in loco arboribus uacuo, ſuſpenſis, & ueniente aue demiſsis.

De colio, ſiue galgulo, ut uertit Gaza, ex Ariſtotele.

Galgulo magnitudo quanta fe-

rè turturi eſt: color luteus, lignipe-
ta hic admodum eſt, magna'que ex
parte macerie paſcitur, uocē emit-
tit grandem, incolam maximè Pelo-
poneſi hęc auis eſt.

Omnia, quæ Ariſtoteles hactenus colio, ſiue galgulo tribuit, Anglorum hubolo, & Germanorum grunſpechto (ſi incolam maximè eſſe Peloponeſi exceperis) conueniunt. Nam turturem ferè magnitudine æquat, lignipeta eſt: macceriem contundit, & uocem grandem emittit. Sed nihil hîc definio, ſed inquiro tantùm. Galgulus Plinio icteros Græcè dicitur, & Ariſtoteli, ſi Theodoro fidimus, etiam κελεὸς. Quanquam mihi textum Græcum conſulenti, alia auis κολιὸς, & alia κελεὸς uidetur: nam κολιὸς ἐστὶ ξυλοκόπος σφόδρα, καὶ νέμεται ἐπὶ τῶν ξύλων τὰ πολλά. Id eſt, colius eſt lignipeta ualde, & magna ex parte ad ligna paſcitur, ὁ μὲν γοῦν κελεὸς παρὰ ποταμὸν οἰκεῖ καὶ λόχμας, quæ uerba Theodorus circa fruteta & nemora reddidit. ſed rectè'ne an ſecus, doctis iudicandum relinquo. Vidi in Alpibus abieti inſidentem auem, magnitudine turturis, uiridibus ueluti maculis in luteo diſtinctam, quæ tota corporis effigie picū Mar-

tium

tium retulit, ſed caput reliquo corpori (ſecus atq; in pico fit) colore fuit ſimile, tibijs fuit breuibus, et capite erecto, & roſtro longiuſculo. An hæc galguli ſpecies fuerit, nihil ſtatuo, ſed fuiſſe ſuſpicor.

DE GRACVLIS.

Eraſmus in eruditiſsimo adagiorum opere, quoties κολοιὸς occurrit (occurrit aũt non rarò) graculum reddit. Theodorum Gazam hac in re, licet aliâs libenter, minimè ſecutus, qui κόλοιον ſemper monedulam uertit. Ego quoq; hac in re Eraſmum potiùs quàm Gazam, uarijs de cauſis, imitari decreui.

Ariſtoteles ſecundùm translationem Gazæ.

Monedularum tria ſunt genera: unum, quod graculus uocatur, magnitudine quanta cornix, roſtro rotundo, rutilo. Alterum, lupus cognominatum, paruũ & ſcurra. Tertium, quod familiare, Lydiæ ac Phrygiæ terræ, idemq; palmipes eſt.

Primum graculorum genus, quod Græci κορακί-αν uocant, Plinio Pyrrhocorax eſt, Anglis a cornish choghe, Germanis eyn bergdôl, cornice paulò minor eſt, roſtro luteo, paruo, & in fine nonnihil adunco, frequens eſt in alpibus, & apud Anglos in Cornubia, uocem habet monedula acutiorem, & magìs querulam. Secundum genus λύκος καὶ βωμολόχος, Græcè dictum, Latinis propriè mone-

Monedula.

dula, quaſi monetula à moneta dicitur, quam ſola

Plin. li. 10

auium, ut inquit Plinius, furatur. Aurum non omnia tria genera furantur, ſed ſecundum genus tantùm, quare ſecundum genus ſolum erit monedula, de cuius furacitate pulchrè etiã his uerſibus ſcribit Ouidius:

Mutata eſt in auem, quæ nunc quoq; diligit aurum,
Nigra pedes, nigris uelata monedula pennis.

Monedulã Angli uocãt, a caddo, a chogh or, a ka. Germ. eyn dôl, & Saxon. eyn âlke. Multò minor eſt pyrrhocorace monedula, & in ſyluis nidulâtur,

Phalocrocorax.

& in cauis arboribus, & in templorũ turribus. Tertium genus, Ariſtoteles 8 libro hiſtoriæ animalium ita deſcribit: Palmipedum grauiores circa lacus & amnes uerſantur, ut anas, phalaris, urinatrix. Ad hęc bo-

ſca

ſca ſimilis anati, ſed minor, & qui coruus appellatus eſt, cui magnitudo quanta ciconiæ, ſed crura breuiora, palmipes natansq́; eſt, colore niger, inſidet arboribus & nidulatur in ijs. Hęc Ariſtoteles. *Coruus iſte, niſi fallar, Plinio phalacrocorax eſt, & Heluetiorum Vualtrapus, de quo Plin. ad hunc modum ſcribit:* Iam & in Gallia Hiſpaniaq́; capitur attagen, & per alpes etiam, ubi & phalacrocoraces, Balearium inſularum peculiares: ſicut & alpium pyrrhocorax. *Et alibi de eodem:* Quædã animalium naturaliter caluent, ſicut ſtruthiocameli, & corui aquatici, quibus apud Græcos nomen eſt inde. Phalocrocorax. i. coruus caluus.

Iam ut ſciatis qualis nam auis ſit Heluetiorum Vualtrapus, quam conijcio phalacrocoracem eſſe, & tertium genus graculi, auis eſt corpore longo, & ciconia paulò minore, cruribus breuibus, ſed craſſis, roſtro rutilo, parùm adunco, & ſex pollices longo.

longo, albam quoque in capite maculam, & eam nudam, niſi malè memini, habuit. Si palmipes ſit, & interdum natet, indubitanter tertium graculorum genus eſſe adfirmarem: uerùm licet auem in manibus habuerim, an palmipes fuerit nec' ne, & caluus, non memini: quare donec iſthæc certiùs nouero, nihil ſtatuam.

Præter hæc tria graculorum genera ab Ariſtotele deſcripta, noui & quartum genus, quod in alpibus Rheticis uidi, Ariſtotelis lupo minus, nigrum, & albis maculis per totum corpus, more ſturni diſtinctum, garrulitate ſuperiora genera multùm ſuperans, ſemper in ſyluis & montibus degens: cui Rheti nucifragæ nomen, à nucibus quas roſtro frangit & comedit, indiderunt.

Graculus nucifragus eyn nouß brecher.

DE GRVE.

γερανός, grus, Anglicè a crane, Germanicè eyn kran / oder eyn kranich.

Ariſtoteles.

Aliæ de ultimis propè ueniunt, ut grues faciunt, quæ Scythicis ad paludes Aegypto, unde Nilus profluit, ueniunt: quo in loco pugnare cū pygmeis dicuntur. Non enim

id

id fabula eſt, ſed certè genus tum hominum tum etiam equorum puſillum, ut dicitur eſt, deguntq́; in cauernis, unde nomen troglodytæ, à ſubeundis cauernis acceprêre. Grues etiam multa prudenter faciunt: loca enim longinqua petunt, ſui commodi gratia, & altè uolant, ut procul proſpicere poſſint, & ſi nubes tempeſtatem'ue uiderint, conferunt ſe in terrã, & humi quieſcũt. Ducem etiam habent, & eos, qui clament, diſpoſiti in extremo agmine, ut uox percipi poſſit. Cùm conſiſtunt, cæteri dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux detecto capite, proſpicit, & quod ſenſerit, uoce ſignificat.

Vipiones Plin. dicuntur minores grues & iuniores Piperſi

ves, ut pipiones iuniores dicuntur columbæ. Apud Anglos etiam nidulantur grues in locis paluſtribus, & earum pipiones ſæpiſſimè uidi, quod quidam extra Angliam nati, falſum eſſe contendunt.

DE HIRVNDINE.

Χελιδών, hirundo, Anglicè à ſuualloune, Germanicè eyn ſchwalb. Saxonibus eſt eyn ſwale.

Ariſtoteles.

Hirundo carnibus ueſcitur, bis in anno parit, & tota hyeme latet. Omnino ratio brutorum, magnã refert uitæ humanę ſimilitudinem, magisq́; in minori genere, quàm in maiore. uideris intelligentiæ rationem, quod primum in auium genere hirundo in effingendo cõſtituendoq́; nido oſtendit, confingit implicito luto, feſtucis ad normam lutariæ paleationis, & ſi quãdo luti inopia eſt, ſe ipſa madefaciens, uolutat in puluerem omnibus pennis. Stragulum

gulum etiam facit more hominum duriore primùm ſubijciens, & modicè totum conſternens, pro ſui corporis magnitudine.

Plinius.

Hirundines luto conſtruunt, ſtramento roborant. Si quando inopia eſt luti, madefactum multa aqua pennis puluerem ſpargunt. Ipſum uerò nidum mollibus plumis floccisq́; conſternunt, tepefaciendis ouis, ſimul ne durus ſit infantibus pullis.

Hirundinum primũ genus

Alterum genus eſt hirundinum ruſticarum & agreſtiũ, quæ rarò in domibus, diuerſos figura, ſed eadẽ materia nidos confingunt, totos ſupinos, faucibus porrectis in anguſtum, utero capaci: mirum qua peritia

Secundũ.

tia occultandis habiles pullis,&ſub ſternendis molles.

Tertium. Tertium hirundinum genus eſt, quæ ripas excauant, atque ita + internidificant. Non faciunt hæ nidos, migrātq́; multis diebus antè, ſi futurum eſt,ut auctus amnis attingat.

+ in terra fœtificāt.

De apodibus, ex Ariſtotele.

Nonnullæ aues depedes ſunt, quæ ob eam rem apodes à paruitate pedum nuncupantur. quod genus auiculæ, pennis plurimùm ualet, ſicut & cætera quoque propè ſimilia,ut pennis præualere,ſic pedibus degenerare uidentur.ut hirundo & falcula ſiue riparia.Hæc enim omnia, & moribus, & uolatu, & ſpecie proxima inter ſe conſpiciuntur.

Appa-

Apparet apes omnibus anni tem- poribus: riparia æſtate tantùm cùm imber inceſſit: tum enim & appa- ret & capitur. deniq; rara hæc auicu la eſt. Apodes, quos aliq cypſellos uocant, ſimiles eſſe hirūdinum, iam dictum eſt: haud enim ab hirundi- ne diſcerni poſſunt, niſi quòd tibijs ſunt hirſutis. Nidum ſpecie ciſtellæ productæ lōgiùs fictæ ex luto, imò aditu dato arctiſſimo faciunt, idq; locis anguſtis, intrà ſaxa & ſpecus, ut & belluas, & homines poſſint deuitare. Riparia ſiue falcula Apodes.

Plinius.

Plurimū uolant, quę apodes uocā tur, quia carēt uſu pedum. Ab alijs Cypſelli appellantur, hirundinum ſpecie. Nidificant in ſcopulis. Hæ ſunt, quæ toto mari cernuntur: nec Apodes.

unquam tam longo naues, tamq́; continuo curſu, recedunt à terra, ut non circumuolitēt eas apodes. Cætera genera reſidunt, & inſiſtunt: his quies niſi in nidis nulla: aut pendent, aut iacent. *Hactenus Plinius & Ariſtoteles.*

Ariſtoteles tria tantùm hirundinum genera facit: domeſticas, apodes, & falculas. Plinius autem quatuor genera facere uidetur: domeſticas, ruſticas, apodes & riparias. Quod ſi uerum ſit, hirundines domeſticæ, ſanguinolento pectore nobiles, erunt primum genus. Secundum genus maximæ illæ & nigerrimæ hirundines gregatim plerumq́; uolantes, facere uidentur. Tertium genus, hirundines quæ in ſummis turribus & altis templorum feneſtris nidulantur, efficiunt. Quartum genus ripariæ ſiue falculæ erunt. Quòd ſi iſta diuiſio parùm arrideat, ad primum genus referantur hirundines illæ in domibus ruſticorum ſemper nidificantes, quas à reliquis generibus, duæ ſanguinolentæ maculæ, quas utrinque in pectore uideas, diſtinguunt, quod Ouidius his uerſibus pulchrè oſtendit:

Hirũdines domeſticę

Alte-

Altera tecta ſubit, nec adhuc de pectore cædis
Exceßêre notæ, ſignataq́; ſanguine pluma eſt.

Hoc primum genus Angli a ſuuallouu nominãt & Germani eyn ſchwalb.

Secundum genus faciunt apodes tam maiores quàm minores. maiores uoco maximas illas hirundines, gregatim & altiùs cæteris uolantes, quæ in arbore, more hirundinum aliarum nunquam conſiſtere uiſuntur. minores uoco, quæ in ſcopulis, templorum feneſtris æditioribus & ſummis turribus nidos figunt. Maiores Germani uocant geyr ſwal ben, *Angli the great ſuuallouues. Minores Angli uocant rok martinettes or chirche martnettes, Germani uocant* kirch ſwalben. Apodes.

Tertium genus, quod in ripis nidulatur, Angli a bank martuet, Germani eyn über ſwalbe, *aut* ſpeiren *nominant.* Falcula ſiue riparia

De hæmatopodibus, ex Plinio.

Roſtrum & prælonga crura rubra hæmotopodi ſunt, multò Porphyrione minori: quãquam eadem crurum altitudine. Naſcitur in Ae-

gypto. Inſiſtit ternis digitis, præcipuum ei pabulum muſcæ. Vita in Italia paucis diebus.

Eſt apud Anglos in locis paluſtribus auis quædam longis & rubris cruribus, noſtra lingua redſhanca dicta, cui an deſcriptio hæmotopodis Pliniani conueniat nec ne, qui apud Anglos degunt, inueſtigent & examinent.

DE IVNCONE.

Σχοινίκλος, *iunco, Anglicè a rede ſparrouu, Germanicè* eynreydt müß. *Iunco, ut ſcribit Ariſtoteles octauo hiſtoriæ animalium, & capite tertio, ad ripas lacuum & fluminum uictitat, & caudam frequenter motitat, & ex eodem conſtat, auem eſſe paruam: nam turdo minorem facit.* Ego igitur *quum nullam aliam nouerim auiculam, iuncis & harundinibus inſidentem, præter Anglorum paſſerem harūdinarium, illum iunconem eſſe iudico. Auis eſt parua, paſſere paulò minor, cauda longiuſcula & capite nigro. cætera fuſca.*

De lingulaca, ex Ariſtotele.

Lingulaca, quæ Græcè γλῶττις dicitur, linguam exerit longam, unde nomen

nomē habet, una eſt è coturnicum ducibus, formam habet auium lacuſtrium.

De lagopode ex Plinio.

Præcipuo ſapore lagopus eſt: pedes leporino uillo ei nomen hoc dedêre. Cętero candidę, columborum magnitudine, non extra terram, in qua naſcitur, eam ueſci: quando nec uiua manſueſcit, & corpus occiſę, ſtatim marceſcit. Eſt & alia, nomine eodem, à coturnicibus magnitudine tantùm differens, croceo tinctu cibis + aptiſſima. *Huius hoc uerſu Martialis meminit:* +gratiſſima.

Si meus aurita gaudet lagopede Flaccus.

DE LIGVRINO SIVE SPINO.

Ακανθίς, ſpinus, ſiue ligurinus, Anglicè, a grene finche, ut coniÿcio, Germanicè, eyn kirsfincke.

Ariſtoteles.

Ligurini, & uita & colore igno

biles ſunt,ſed ualent uocis amœni-
tate,& ex auium albo ſunt,quę car
duorum ſemine ueſcuntur. Florus,
ſpinus, & ægithus, odium inter ſe
exercẽt. Spinus etiam bellum cum
aſino gerit.

Spinum Ariſtotelis grenefincam noſtram eſſe ar bitror: nam illa inter ſpinas plurimùm degit,& ex herbarum ſeminibus uictitat. Auis, quam ſpinum eſſe iudico,magnitudine paſſerem æquat,tota uiridis eſt, præſertim mas in hoc genere,fœmina ferè pallida eſt. ueſcitur carduorum maiorum ſemine & lapparum,ut auriuittis minorum, nidulatur in ramis ſalicũ aut prunorum ſylueſtriũ. cantat amœnè,& ſitum & potũ è ſitulis haurire non recuſat.

Sed obijciet mihi forſan quiſpiam,hanc colore uiridi adeóq; amœno,non poſſe ſpinum eſſe, quem Ariſtoteles colore ignobilem eſſe teſtatur. Sciat uelim,qui hoc mihi obijcit,eundem Ariſtotelem uiridem colorem damnare,etiam in aue,quæ tota uiridis eſt,& à uiriditate nomen accepit. Verba Ariſtotelis hæc ſunt: Vireo, qui totus uiridis eſt,docilis & ad uitę munera ingeni oſus

oſus notatur, ſed malè uolat, nec grati eſt coloris. *Hæc Ariſtoteles.*

DE LVTEA.

χλώριυς, luteus ſiue lutea, Anglicè a yelow ham, a yowlryng. Germanicè eyn geelgorſt.

Ariſtoteles.

Luteus à colore partis ſuæ inferioris pallido dictus, magnitudine alaudæ eſt. Parit oua quatuor aut quinque. Nidum ſibi ex ſymphyto ſtirpitus euulſo facit. Sed ſtragulum ſubĳcit ex lana & uillo.

Auicula, quam luteum eſſe credo, paſſere paulò maior eſt. Maris pectus & uenter lutea ſunt: fœminæ uerò pectus luteum, & uenter pallidus eſt, in capite dorſo & alis, pennis fuſcis luteæ intermiſcentur. Roſtrum utrique firmum & breue, in quo tubercum quoddam dentem mentiens, reperias, præter uermes, hordeo & auena libenter ueſcitur. Cauda huius auiculæ longiuſcula eſt, & frequenter motitans.

DE LVTEOLA.

χλώρις, luteola, Anglicè a ſiskin, Germanicè

eyn zeyſich, quibuſdam eyn engelchen.

Luteola, lutea ſuperiùs deſcripta, multò minor eſt, & colore ad uiriditatem magis tendente, pectore luteo eſt, & roſtro longiuſculo, tenui & acuto, auriuittis ſimili, duas habet maculas nigras: alteram in fronte, alteram ſub mento, cantillat non inſuauiter. Rara apud Anglos hæc eſt, nec uſpiam ferè alibi quàm in caueis cernitur. Semel tamen in Cantabrigianis agris uidiſſe recordor. Huius generis *ſunt, quas Anglia aues canarias uocat.*

DE LVSCINIA.

Ἀηδών, luſcinia, philomela, Anglicè *a* nyghtyngall. Germanicè eyn nachtgall.

Ariſtoteles.

Parit luſcinia æſtate quinq; aut ſex oua, conditur ab autumno uſq; ad uernos dies, luſcinia canere ſolet aſſiduè diebus ac noctibus quindecim, cùm ſylua fronde incipit opacari. dein canit quidem, ſed non aſſiduò, mox adulta æſtate uocem mittit diuerſam, nõ inſuper uariam, aut cele-

celerem modulatamq́; , ſed ſimplicem , colore etiam immutatur , & quidem in terra Italia per id tempus alio nomine appellatur , apparet non diu , abdit enim ſeſe & latet.

Ariſtoteles præter unam notam nullam oſtendit peculiarem , qua ab alijs auibus luſcinia differret, ea autem eſt quòd linguæ ſummæ acumine careat. Quanquam & hoc etiam cum atricapilla commune habet. Colore *luſcinia, & corporis magnitudine auiculam illam proximè refert, quam* Angli *lingettam, & Germani paßerem gramineum nominant.* Paſſere *paulò minor eſt , & tenuior, & longiori corporis figura, color pectoris ferè cinereus eſt, cætera ſubfuſca.* Graeſmuſch.

DE MERGO.

Αἴθυια, mergus, Anglicè a cormorant, German. eyn dücher.

Ariſtoteles.

Mergus marina auis eſt , ex piſcium uenatu uictitans, ſubit tamē altiùs in fluuios. Mergus & gauia ſa

xis maritimis oua bina aut terna pariunt. Sed gauiæ æſtate, mergi à bruma, ineunte uere. Incubant more cæterarum auium, ſed neutra earum auium conditur.

Mergus. *Mergus, auis eſt magnitudine ferè anſeris pulla, roſtro longo & in fine adunco, palmipes eſt, & corpore graui, forma corporis aui ſedenti, erecta eſt.* Plinius *in arboribus nidulari ſcribit, at* Ariſtoteles *in ſaxis maritimis. Quod uterq; aut uidit, aut à referentibus aucupibus didicit, ſcripto mandauit. Et ego utrumque obſeruaui, nam in rupibus marinis iuxta hoſtiū* Timæ *fluuij mergos nidulantes uidi, & in* Northfolcia *cum ardeis in excelſis arboribus. Qui in rupibus maritimis nidificant, ex præda marina ferè uiuūt, qui uerò in arboribus, amnes, lacus, & fluuios, uictus cauſa petunt.*

De merope ex Ariſtotele.

Merops. Sunt, qui meropes genitorum ſuorum ſenectutem educare confirmant, uicemq; reddi, ut parentes

non

non modò ſeneſcentes, uerùm etiã cùm iam datur facultas, alantur opera liberorum: nec matrem aut patrem exire, ſed in cubili manentes, paſci labore eorum, quos ipſi genuerunt, enutrierunt, educarunt. Pennæ huius auis inferiores pallidę ſunt, ſuperiores cœruleæ ſunt ut halcyonis: poſtremæ pinnulę rubrę habentur. Parit ſex aut ſeptem æſtate in præcipitijs mollioribus, intrà uel ad quatuor cubita ſubiẽs, terræ etiã cauernas ſubiens, cunabula facit.

Plinius.

Nec uerò ijs minor ſolertia, quæ cunabula in terra faciunt, corporis grauitate prohibente ſublime petere. Merops uocatur, genitores ſuos reconditos paſcens, pallido intus colore pennarum, ſuperne cyaneo, prio

priori ſubrutilo. Nidificat in ſpe-cu, ſex pedum defoſſa altitudine.

Meropem ingenuè fateor me nunquam uidiße, nec quẽquam cõueniſſe, qui aliquando uiderit. Ta*metſi non ſum neſcius apud* Germanos, *grammaticos non indoctos eße, qui grunſpechtum ſuum, meropem eſſe doceant: ſed* Ariſtotele *&* Plin. *reclamantibus.* Picus *uiridis nidum ſibi roſtro ſuo in arboribus facit: ubi enim picus arborem tundẽs, illam ex ſono ſubcauam eſſe deprahendit, inſtante tempore partus, eam in qua poſtea nidulaturus eſt, roſtro perforat.* Nulla *uſpiam arbor tam alta eſt, quam impediente ulla corporis grauitate, non uolatu traijcere poßit.* Pennæ *huius quoque ſuperiores ſunt uirides, inferioresq́;, niſi malè memini, luteæ aut ſaltem pallidæ ſunt.* quare *quum merops prohibente corporis grauitate, in ſublime petere, atq; ideo in arboribus nidulari non poßit, & ſuperne colore ſit cyaneo,* Germanorum *picus uiridis, quem* Britanni *à faciendis foraminibus, huholam nominant, merops* Ariſtotelis *&* Plinij *eſſe non poterit.*

Meropem non eſſe Germanorum grunſpechtum.

DE MERVLA.

κόττυφος, *merula,* Anglicè *a blak oſel, a blak byrd,* Germanicè *eyn merl, aut eyn amſel.*

Ari-

Ariſtoteles.

Merularum duo ſunt genera: alterum nigrum & uulgare: alterum candidum, magnitudine quidem compari, & uoce ſimili, ſed circa Cylenam Arcadię familiare, nec uſquã alibi naſcens. Eſt etiam ex hoc genere, quæ ſimilis nigræ eſt, ſed fuſca colore, & magnitudine paulò minor, uerſari hæc in ſaxis & tectis ſolita eſt, nec roſtrum rutilum, ut merula habet. Merula etiam & colore, & uoce per tempora immutatur. Nam ex nigra redditur rufa, & uocem emittit diuerſam. Strepitat enim per hyemem, quum per æſtatem tumultuans cantet.

Plinius.

Merula, ex nigra ruffeſcit, canit æſtate, hyeme balbutit, circa ſolſtitium

tium muta, roſtrum quoq; aniculis in ebur transfiguratur, dũtaxat maribus.

DE MILVO SIVE *miluio.*

ἴκτινος, miluus, Anglicè, a glede, a puttok, a kyte, Germanicè eyn weye.

Plinius.

Milui ex accipitrũ genere ſunt, magnitudine differentes. Iidem uidentur artem gubernandi docuiſſe, caude flexibus, in cœlo monſtrante natura, quod opus eſſet in profundo. Milui & ipſi hybernis menſibus latent, non tamen ante hirundines abeuntes. Traduntur & ſolſtitijs affici podagra.

Ariſtoteles.

Milui pariunt bina magna ex parte, interdum & terna, totidemq; excludunt pullos. Sed qui Aetolius

nuncupatur, uel quaternos aliquando excludit.

Duo miluorum genera noui, maius & minus: maius colore propemodum ruffo eſt, apud Anglos frequens, & inſigniter rapax. Pueris hoc genus cibum è manibus in urbibus & oppidis eripere ſolet. Alterum genus eſt minus, nigrius, & urbes rarius frequentans. Hoc genus ut in Germania ſæpiſſimè, ita in Anglia nunquam me uidiſſe recordor.

DE MOLLICIPITE.

Μαλακοκρανέυς, molliceps, Anglicè a shrike, a nyn murder, Germanicè eyn nuin mürder.

Ariſtoteles.

Molliceps eodem in loco ſemper ſibi ſedem ſtatuit, atque ibidem capitur. Grãdi & cartilagineo capite eſt, magnitudine paulò minor quã turdus, ore firmo, paruo, rotũdo, colore totus cinereo depes, & pẽnis inualens eſt, capitur maximè noctua.

Mollicipitem eſſe arbitror auiculam, quam Germani nuinmurder non ſine cauſa nominant. Porrò ut omnibus perſpicuum ſit, quę nam & qualis illa ſit

ſit, formam auis & mores quanto licebit compendio perſtringam. Magnitudine, minimum turdorum genus æquat, è longinquo contẽplanti, tota apparet cinerea. Propius autem inſpicienti, mentum, pectus & uenter alba apparent, ab utroque oculo ad collum uſque, longa & nigra macula, ſed nonnihil obliqua porrigitur. Capite tam grandi eſt, ut aui triplo maiori (modò roſtrum longius & maius eſſet) proportione ſua ſatis reſponderet. Roſtro nigro eſt, & mediocriter breui, & in fine adunco, ſed omnium firmiſsimo & fortiſsimo eſt, utpote quo manum ſemel meam duplici chirotheca munitam, ſauciauerit, & auium oſſa & capita confringat & conterat quàm ocyſsimè. Ala utraque nigra tota eſt, niſi quòd alba linea grandiuſcula, mediam utrinque alam tranſuerſim diſtingat. Caudam picæ ſimilem habet, lõgiuſculam nimirum, & uariam. Tibias & pedes pro ratione corporis omnium minimos, & eos nigros habet. Alas habet breues, & ueluti per ſaltus ſurſum atque deorſum uolitat. Viuit ex ſcarabeis, papilionibus, & grandioribus inſectis: ſed non ſolis iſtis, uerumetiam, more accipitris, auibus. Occidit enim regulos, fringillas, & (quod ego ſemel uidi) turdos. Tradunt etiam aucupes hanc picas quaſdam ſylueſtres interdum iu-

gula-

gulare, & cornices in fugam adigere. Aues, quas occidit, non unguibus, ut accipitres, uolando perniciter adſequitur, ſed ex inſidijs adoritur, & mox (quod iam ſæpiùs expertus ſum) iugulum petit, & cranium roſtro comprimit & confringit. Oſſa comminuta & contuſa deuorat: & quando eſurit, tantos carnis bolos in gulam ingerit, quantos rictus oris anguſtia poteſt capere. Præter morem etiam reliquarum auium, quando uberior præda contigit, nonnihil in futuram penuriã reponit. Muſcas enim grandiores & inſecta iam capta in aculeis & ſpinis arbuſtorum figit & ſuſpendit: omnium auium facilimè cicuratur, & manſuefacta, carnibus alitur, quæ ſi fuerint ſicciores, aut prorſus exangues, potum requirit. In Anglia ſæpiùs quàm bis nunquam uidi, in Germania ſæpiſſimè. Nomen huius apud noſtros neminem inueni, qui nouerit, præter Dominum Franciſcum Louellum, tam animi quàm corporis dotibus equitem auratum nobiliſſimum. Iam ſi cui mollicipitis Ariſtotelis deſcriptio huic non uideatur per omnia conuenire, tyrannorum albo adſcribat, aut auem oſtendat, cui deſcriptio meliùs competat.

O[illegible] [illegible]it, ſi eius illi magnitudo adeſſet. Nam nec moribus, nec colore ab ea multùm abludit.

DE NOCTVA.

γλαὺξ, noctua, Anglicè an ouul, or an houulet,

Germanicè eyn eul & eyn üle Saxonicè.

Ariſtoteles.

Noctuæ, cicuniæ, & reliqua, quę interdiu nequeunt cernere, noctu uenando cibum ſibi adquirunt: uerùm non tota nocte id faciunt, ſed tempore ueſpertino et matutino. Venantur autem mures, lacertas, uerticillos, & eiuſmodi beſtiolas. Noctuam cæteræ omnes aues circumuolant, quod mirari uocatur, aduolantesq́; percutiunt. Qua propter aucupes ea conſtituta, auicularum genera multa & uaria capiunt.

DE OLORE.

κυκνός, *olor, Anglicè a ſuuan, Germanicè eyn ſwān.*

Ariſtoteles.

Olor. Olores palmides ſunt, apud lacus & paludes uiuentes, qui nec probitate uictus, morum, prolis, ſenectutis

ctutis uacant. Aquilam ſi pugnam cœperit, repugnantes uincunt. Ipſi tamen nunquam, niſi prouocati, pugnam inferunt. Canere ſoliti ſunt, & iamiam morituri. Volant etiam in pelagus longius, & iam quidam cùm in mari Africo nauigarunt, multos canentes uoce flebili & mori nonnullos conſpexère.

Si quis olorem nunquam uiderit, & ex hac Ariſtotelis deſcriptione non ſatis qualis ſit auis didicerit, ſciat auem eſſe albam, anſere multò maiorem, forma tamen & uictu ſimilem, pedibus nigris, & roſtro parùm turbinato, colore rutilo, in cuius ſumma parte, qua capiti committitur, nigerrimum tuberculum, atque id rotundum, & in roſtrum ſeſe inflectens, exiſtit.

DE ONOCRATALO.

Sunt hodie non parùm multi eruditione inter omnes conſpicui, qui grandiſonam illam lacuſtrem auem, Anglis buttoram & Germanis pittourum, & roſdommam uocatam, Onocrotalum eſſe contendant. Quorũ ego ſententiæ lubens ſubſcribe- Onocrotalus.

rem,(pulchrè enim cum uoce auis nominis etymologia conuenit:) niſi Plinij *autoritas de onocrotalo ad hunc modum ſcribentis, non diſſuaderet.* Onocrotali, *inquit*, olorum ſimilitudinem habent, nec diſtare uidentur omnino, niſi faucibus ipſis ineſſet, alterius uteri genus huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut ſit capacitas, mox perfecta rapina, ſenſim inde in os reddita, in ueram aluum ruminantis modo refert. Gallia hos ſeptentrionalis, proximè oceano mittit. *Hæc* Plinius.

Nunc paucis auem illam uobis depingam, quã onocrotalum eſſe aſſeuerant. Auis eſt tota corporis figura Ardeæ *ſimilis. longis cruribus, ſed ardeæ breuioribus. longo collo, & mirè plumoſo, & roſtro nec breui nec obtuſo. caput pennæ tegunt nigerrimæ. reliquum uerò corpus, fuſcæ & pallidæ maculis nigris denſiſſimè reſperſæ.* Pedes *habet longiſſimos, nam inter extremos ungues medij digiti pedis unius & calcis eiuſdem, ſpithames longitudo interce-*

tercedit. Vngues habet longiſsimos, nam ille, qui cal cis uicem in auibus gerit, longitudine ſeſquiunciam ſuperat. quare ad fricandos dentes noſtrates utuntur, & argento inſerunt. Medius digitus utriuſque pedis, qui cæteris longior eſt, unguem habet portentoſum, nempe dentatum & ſerratum, non ſecus atque pectunculorum teſtæ ſerratæ ſunt, ad lubricas anguillas, quas cœpit, retinendas, à natura pro culdubio ordinatum. Cauda illi breuiſsima eſt, et ſto machus capaciſsimus, quo ingluuiei loco utitur. Ventriculum non cæterarum auium uentriculis, ſed canino ſimilem habet, & eum grandem & capacem.

Sed ne cui falſa eſſe uideantur, quæ de hac aue iam ſcripſi, aut ex aliorum relatu potiùs quàm cer ta experientia didiciſse uidear: dum prima huius li bri folia adhuc ſub prælo eſsent, auem mihi hanc contemplanti, ſecantiq́;, & nũ tales haberet uentriculum & ſtomachum, quales Plinius illi tribuit, in ueſtiganti: aderant uir eruditiſsimus, & abſtruſiorum naturæ arcanorum ſtudioſiſsimus inueſtigator Ioannes Echthius, Medicus apud Colonienſes celeberrimus: Cornelius Sittardus, Medicinæ prima laurea decoratus. M. Lubertus Eſtius, artium liberalium profeſſor, ambo ſimplicium medicamentorum pulchrè gnari, & ad miraculum uſque ſtudioſi: &

Conradus Embecanus uir non uulgariter doctus, et Gymnicanæ officinæ caſtigator inſigniter diligens, cum alijs aliquot bonarum artium ſtudioſis, qui me nihil de hac aue hîc ſcripſiße teſtari poſſunt & uolunt, quod cum illis omnibus non uiderim. Ad ripas lacuum & paludium deſidet, ubi roſtrum in aquas inſerens, tantos êdit bombos, ut ad miliarium Italicum facilè poßit audiri. Piſces & præſertim anguillas uorat auidißimè, nec ulla auis eſt, excepto mergo, quæ iſta uoracior eſt. Nunc quid ſimile habet iſta cygno? Nihil planè, quod ſe oculis conſpiciendum offerat. Et Moiſes Leuit. undecimo capite, proximè cygnum inter immundas aues onocrotalum recenſet. Vnde non immeritò ſuſpicio quibuſdam orta eſt in Gallia, aut Iudæa auem forma olori ſimilem alicubi poſſe reperiri. Quòd ſi nuſquam talis inueniatur: probabile eſt, aut Plin. à mendacibus relatoribus ſuis eße falſum; aut ea, quæ de ſimilitudine inter onocrotalum & cygnũ tradidit, non de corporis ſed uocis ſimilitudine intellexiſſe. Nam & olores interdum bombos emittunt ruditui aſinino non dißimiles: ſed breues, & quæ longè audiri non poßunt. Verùm ſi hanc meam interpretationẽ uariæ, reconditæq; eruditionis uiri, ſuis ſuffragijs minimè approbauerint, hanc ſaltem Ariſtotelis ardeam

deam ſtellarem eſſe mecum conſentient. Nam præter cætera, quæ ſuperiùs attigi, Ariſtoteles in fabula fuiſſe oſtendens, ardeam ſtellarem ex ſeruo auem fuiſſe factam, opinioni meæ multum patrocinatur. Vt fugitiuorum enim ſeruorũ poſt fugam depræhẽſorum, cutis, loris, flagris, uirgis, & ſcorpionibus icta, uerberum uibicibus, tota maculoſa redditur: ita huius auis plumæ nigris ubique maculis, ſed potiſsimùm in tergo, diſtinctæ & ueluti picturatæ, ſerui flagris cæſi cutem proximè referũt. Quam rem fabulæ occaſionem dediſſe ex hoc colligo, quòd fabularum uariarum autor Ariſtophanes, de attagene aue, quod ad plumarum colores attinet, huic ſimilima, ad hunc modum ſcribat:

Onocrotalum quibuſdam hodie dictũ, ardeam, eſſe ſtellarem apud Ariſtotelem.

Si quis ex uobis erit fugitiuus atq; uſtis notis,
Attagen is ſanè apud nos uarius appellabitur.

De ortygometra ex Ariſtotele.

Ortygometra, id eſt, coturnicũ matrix, auis eſt forma perinde ac lacuſtres. Cruribus ideo longis aues quædam innituntur, quòd earum uita ſit paluſtris.

Ortygometram aliqui eandem eſſe auem cum crece et cychramo uolunt. Sed Ariſtoteles, peculiare caput creci donauit, et octauo libro hiſtoriæ animalium, cychramum a matrice, quam ortygometram uocat, his uerbis diſtinguit. Coturnices (*inquit*) cùm hæc adeunt loca, ſine ducibus pergunt: at cùm hinc abeunt, ducibus lingulaca, oto, & matrice, proficiſcuntur, atque etiam cychramo, à quo etiam reuocãtur noctu, cuius uocẽ cùm ſenſerint aucupes, intelligunt parari diſceſſum. *Hæc ille.*

Fieri igitur non poteſt, ut matrix & cychramus eadem auis ſit. Aliqui ortygometram eſſe uolunt Germanorum ſcricam, & Anglorum daker hennam, quorum ego ſententiæ accederem, ſi crecem eandem cum iſta, euincerent.

DE OSSIFRAGA.

Ariſtoteles.

Oſſifragæ magnitudo maior eſt quàm aquilæ, color ex cinere albicans. Probè & fœtificat, & uiuit, cœ

næ ge-

næ gerula & benigna eſt. Nutricat enim bene, & ſuos pullos & aquilæ. Cùm enim illa ſuos nido eiecerit, hæc recipit eos, ac educat.

Plinius.

Quidam adijciunt genus aquilę, quam barbatam uocāt Thuſci oſſifragam.

DE OTO.

ὠτός, otus, Anglicè a horn oul, Germanicè eyn ranſeul/oder eyn ſchleier eul.

Ariſtoteles.

Otus noctuæ ſimilis eſt, pinnulis circiter aures eminentibus, præditus, unde nomen accepit, quaſi auritum dixeris. Nonnulli ululam eū appellant, alij aſionem. Blatero hic eſt & hallucinator, & planipes: ſaltantes enim imitatur. Capitur intentus in altero aucupes, altero circumeunte.

De otide ex Plinio.

Tetraonibus proximæ ſunt, quas Hiſpania aues tardas appellat, Græcia otidas, damnatas in cibis. Emiſſa enim oſſibus medulla, odoris tædium extemplò ſequitur.

DE PARIS.

αἰγίθαλος, parus, Anglicè a tit mouſe, German. eyn meyſe.

Ariſtoteles.

Parorum tria ſunt genera: fringillago, quæ maior eſt, quippe quæ fringillam æquet. Alter monticola cognomine eſt: quoniam in montibus degat, cui cauda longior. Tertius magnitudine ſui exigui corporis diſcrepat, quanquam cætera ſimilis eſt. parus plura oua parit.

Fringillago.

Primum parũ, Angli uocant the great titmous or the gout oxei, Germani eyn Kölmeyſe.

Parus medius.

Parum ſecundum, Angli the leß titmous nominant. Germanici eyn meelmeyſe.

Parum

Parum tertium, Angli nonnam à ſimilitudine quam cum uelata monacha habet, nominant. Parus minimus.

Nidulantur pari in cauis arboribus, ueſcuntur non ſolùm uermibus, ſed & canabino ſemine, & nucibus, quas roſtris ſuis acutioribus ſolent perforare, & nucleos eruere. Sæuo duo priora genera multùm delectantur. Parus maximus ineunte ſtatim uere cantiunculam quandam breuem, nec admodum iucundam exercet, aliâs mutus, huic pectus luteum eſt, intercurſante linea nigra maiuſcula. Cæterorum corpora albo, nigro, pallido, & cyanea coloribus diſtinguuntur.

DE PARDALO.

Pardalus, Angl. (ut creditur) a pluuer, Germa. eyn puluer.

Ariſtoteles.

Pardalus etiam auicula quædam perhibetur, quæ magna ex parte gregatim uolat, nec ſingularē hanc uideris, colore tota cinereo eſt, magnitudine proxima mollicipiti eſt: ſed pennis & pedibus bonis, uocem frequentem nec grauem emittit.

Si

Si auis illa pardalus ſit, quam eſſe ſuſpicor, celerrimè currit, & ſibilum, quem paſtores & aurigarum pueri labijs porrectis êdunt, uoce imitatur. Pennas habet ad cinereum colorem proximè uergentes, quarum ſingulæ ſingulis flauis maculis ſunt reſperſæ, & ea auicula, quam mollicipitē eſſe conijcio, multò maior eſt. Fieri poteſt, ut eius auis plures ſint ſpecies.

DE PASSERIBVS.

στρουθὸς, *paſſer, Angli. a ſparrouu, German.* eyn mūſche oder eyn ſpātz. Quidam eyn lūningk, *Saxones* eyn ſperlingk *uocant.*

Paſſer, authore Ariſtotele, puluerat & lauat, et auis eſt omnium ſalaciſsima. Et quanquam Ariſtoteles unum tantùm paßerum genus fecerit, tria tamē genera eſſe conſtat, quæ nunquam nouit, & quæ recentiores Græci inuenerunt. Primum horum trium eſt paßer torquatus, à communi paßere, nō ſolū torque albo, ſed & uoce, & modo nidificandi differēs. Paſſer torquatus. *Hoc genus in Germania frequens eſt, ſed apud Anglos rarum. Secundus paſſer magnus Auctuario dicitur, & in ſummis arborum ramis plerumque ſolet ſedere. hunc uarijs de cauſis Anglorum buntingam, & Germanorum Gerſthammeram eße ſuſpicor.* Paſſer magnus. Huic mollicipitis apud Ariſtotelem

cor. Tertius paßer Ariſtoteli incognitus, eſt paßer troglodites, apud Paulum Aeginetam, & Aetium celeberrimos medicos, multùm celebratus. Qualis autem illa auis ſit, ex Paulo & Aetio, quorum deſcriptiones mox ſubijciam, omnibus facilè patebit.

deſciptio magna ex parte conuenit. Paſſer troglodites.

Paulus Aegineta de paſſere troglodite.

His accedit laudatiſſimum remedium troglodites. eſt autem paſſerculus omnium auium minima, ea ſola excepta, quę regulus appellatur, hoc enim ſolo paulò maior eſt, eiq́; ſimilis: colore inter cineriũ & uiride, tenui roſtro, in muris maximè & in ſepibus degens.

Aetius.

Troglodites eſt paſſerculus minimus, iuxta ſepes & muros uictum quæritans. Eſtq́; hoc animalculum omnium auicularum minimum, excepta

cepta ea, quæ regulus appellatur, ſimilis autem regulo in multis, præterquam quòd in fronte auricolores pennas non habet. Eſt autẽ troglodites paſſer regulo paulò maior & nigrior, caudamq́; ſemper ſubrectam, & albo colore retrò interpunctam habet. Magis item garrulus quàm regulus eſt, & ſanè iuxta ſummum alæ lineamentum cinerij amplius coloris. Breues item facit uolatus, naturalem autem uim omnino admiratione dignam habet.

Nihil eſt in hac deſcriptione, quod non ad amuſſim auiculæ conueniat, quam Angli paſſerem ſepiarium, Colonienſes aucupes koelmuſſhum nominant. Sed quoniam tam in Germania quàm in Anglia uarijs nominibus appellatur, & non omnes eum ex uno nomine agnoſcunt, omnia eius, quæ noui nomina, ut omnibus innoteſcat, ſubijciam.

Vocatur apud Anglos an hedge ſparrouu, hoc eſt paſſer ſepiarius, & a dike ſmouler, hoc eſt, in ſepi-

pibus deliteſcens. Vulgus Coloniēſe hunc paſſerem eyn graßmuſch appellat. uerū peritiores quiq; aucupes eyn koelmuſch, hoc eſt, paßerem in foraminibus & cauernis degentem, nuncupant. Hic Germanos monitos uolo, quū duæ ſint aues, graſmuſchi, ſua lingua uocatæ, illā ſolā eſſe trogloditen, quæ per totum annum regulo ſimilis cernitur, & non illam, quæ circa fauces plumoſa ineunte ſtatim hyeme diſcedit. Nidum huius paſceris ſemel humi factum inter urticas uidi, & pullos antequam uolare poſſunt, relicto nido, inter herbas fruticesq; reptitantes, ſæpiùs obſeruaui: uermibus paſcitur, & paulò ante ueſperum ſolet impenſiùs ſtrepere, & omnium ferè auium poſtrema dormitum petit.

DE PAVONE.

ταὼν, pauo, Anglicè a pecok, Germanicè eyn pffaw. Saxonicè eyn pagelūn.

Plinius.

Pauo gemmantes laudatus expandit colores, aduerſo maximè ſole, quia ſic fulgentiùs radiant, ſimul umbræ quoſdam repercuſſus cæteris, quæ in opaco clariùs micāt, con-

conchata quærit cauda, omneſq; in aceruuum contrahit pēnarum, quos ſpectare gaudet oculos. Idem cauda annuis uicibus amiſſa cum folijs arborum, donec renaſcatur iterum cum flore: pudibundus ac mœrens quærit latebram. Viuit annis uiginti quinque. Colores incipit fundere in trimatu. Ab autoribus traditur non tantùm glorioſum animal, ſed maleuolum, ſicut anſer uerecundum. Pauones in capitibus ſuis ueluti crinita habent arbuſcula.

DE PERDICE.

πέρδιξ, perdix, Anglicè a pertrige, Germanicè eyn velt hōn/ ader eyn raphōn.

Ariſtoteles.

Perdix auis eſt pulueratrix, & non altiuola, & eadem non in nido, ſed in condenſo frutice aut ſegete

prolem

prolem ſuam munit. . Aues enim grauiores nidos ſibi non faciunt, ut coturnices & perdices, & reliquæ generis eiuſdem. Quibus enim uolandi facultas deeſt, ijs nidus non prodeſt: ſed facta in aprico, area, (alibi enim nuſquam pariunt) atque materia ut uepribus quibuſdam congeſtis, quoad accipitrum & aquilarum iniuriam deuitare poſſint. Oua edunt, & incubant, mox cùm excluſerint, protinus pullos educunt. propterea quòd nequeunt ſuo uolatu ijs cibum adminiſtrare. Refouent pullos ſuos ſub ſe, ipſæ ducendo more gallinarum, & coturnices & perdices. Nec eodem loco pariũt & incubãt, ne quis locum percipiat, longioris temporis mora. Cùm ad nidum quis uenando acceſſerit, pro

uoluit ſe perdix ante pedes uenantis, quaſi iam capi poſſit, atque ita ad ſe capiendam hominem allicit, euſque dum pulli effugiant, tum ipſa uolat, & reuocat prolem. parit oua non pauciora quàm decem.

Eſt & alia auis, quæ perdix ruſtica dicitur, Anglis rala dicta, cuius his uerſibus Martialis meminit:

Ruſtica ſum perdix, quid refert ſi ſapor idem?
Charior eſt perdix, ſi ſapit illa minus.

DE PHASIANO.

Phaſianus, Anglicè a pheſan, Germanicè eyn faſant/ oder eyn faſian.

Plinius.

Phaſiani geminas aures ex pluma ſubmittunt, ſubriguntq́;. quæ ueluti cornicula apparent.

Ariſtoteles.

Phaſianorum oua punctis diſtincta ſunt ut meleagridum, pulue rant ut gallinæ & perdices. Phaſiani à

ni à pediculis infeſtantur, & niſi interdum pulverent, eiſdem interimuntur.

DE PHOENICE.

Plinius.

Aethiopes atque Indi diſcolores maximè & inenarrabiles ferunt aues, & ante omnes nobilem Arabię phœnicem: haud ſcio an fabulosè, unum in toto orbe, nec uiſum magnoperè. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cœruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus, criſtis faciem caputq; plumeo apice honeſtante. Primus atque diligentiſſimus togatorum de eo prodidit Manilius, ſenator ille maximus, nobilis, doctore nullo, autor eſt, neminem extitiſſe, qui uiderit uesc̄etem.

Sacrum in Arabia ſoli eſſe, uiuere annis 660. ſeneſcẽtem caſia thurisq́; ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuperemori. Ex oſſibus deinde ac medullis naſci primò ceu uermiculum, inde fieri pullum.

DE PICA.

κίσσα, *pica, Anglicè a py, or a piot, Germanicè* eyn elſter/oder eyn atzel.

Ariſtoteles.

Pica uoces plurimas commutat, ſingulis enim ferè diebus diuerſam emittit uocem. Parit oua circiter nouem numero. Nidum in arboribus facit ex pilis & lana, glandes cùm deficiunt, colligit, & in repoſitorio abditas, reſeruat.

Plinius.

Minor nobilitas, quia non ex longinquo uenit, ſed expreſſior loquaci-

quacitas certo generi picarum eſt, quàm pſitacis eſt. Nec diſcunt tantùm, ſed diligunt, meditantesq; intrà ſemet, cura atq; cogitatione, intentionem non occultant. Conſtat emori uictas difficultate uerbi, ac niſi ſubinde eadem audiant, memoria falli, quærentes mirum in modum hilarari, ſi interim audierint id uerbum. Nec uulgaris ĳs forma, quamuis non ſpectanda, ſatis illis decoris in ſpecie ſermonis humani eſt. Verùm addiſcere alias negant poſſe, quàm quæ ex genere earum ſunt, quæ glande uefcantur, & inter eas faciliùs, quibus quini ſunt digiti in pedibus: ac ne eas quidem ipſas, niſi primis duobus uitę annis. Nuper et adhuc tamen rara ab Appennino ad urbem uerſus cerni cœpere pica-

rum genera, quæ longa inſignes cauda uariæ appellantur, proprium his calueſcere omnibus annis cùm ſeratur rapa.

Plinius duo picarum genera facere uidetur: poſterius hoc genus Plinij, picarum genus eſſe uidetur, quod paßim in Germania & Anglia longa cauda præditum, oua & pullos gallinarum populatur. Aliud genus picæ, tam longa cauda ornatum, quàm hoc eſt, non noui. noſtra quoque pica uulgaris calueſcere quotannis ſolet. Alterum autem picæ genus diu ſanè dubitaui quod'nam eſſet, & adhuc non ſatis teneo. Cùm eſſem in Italia ad ripam Padi, ambulantibus mihi, & itineris mei comitibus, auis quædam picæ ſimilis, lingua Britannica iaia, & Germanica mercolphus appellata, conſpiciendam ſeſe commodùm obtulit, cuius nomen Italicum quum à monacho quodam, qui tum fortè aderat, percontarer, picam granatam dici reſpondit. Quare cùm apud Italicum etiam uulgus non ſolùm priſtinæ linguæ Romanæ, ſed & rerum ſcientiæ, non obſcura ueſtigia adhuc ſupereſſe depræhenderem, ſuborta eſt mihi hinc ſuſpicio, auem hanc è generibus picarum eſſe, & quòd ſcirem eandem, altera uulgari

Iaia Anglorum, mercolphus Germanorũ.

gari

gari pica, multò expreßius humanas uoces imitari, ita ſuſpicionem meam auxit, ut parùm abſit, quin credam hanc eſſe alterius generis picam, nam & glandibus ueſcitur magis omnibus alijs auibus. Hanc meã opinionẽ Perottus cõfirmat, quem ſi uacat lege.

DE PICO MARTIO.

Δρυοκολάπτης, *picus martius, pipo, iynx, torquella, turbo, Anglicè & Germanicè a ſpecht, eyn ſpecht.* a rayn byrde.

Ariſtoteles.

Alia culicibus gaudent, nec alio magìs quàm uenatu culicum uiuũt, ut pipo tum maior tum minor, utrumque picum martium uocant. Similes inter ſe ſunt, uocemq; ſimilem emittunt, ſed maiorem, quæ maior eſt. Item κολιὸς, cui magnitudo quanta turturi ferè eſt, color luteus, lignipeta hic admodum eſt, magnaq; ex parte more picorum, νέμεται ἐπὶ τῶν ξύλων, quod eſt, ut interpretatur Gaza, ex macerie uiuit: uo-

Galgum interpretatur Gaza.

Id eſt, uiuit ad ligna.

cem emittit magnam, incola maxi mè Peloponeſi hic eſt.

Obſerua ubi Ariſtoteles duo tantùm picorum genera facit, ibidem illum galgalum deſcribere, & ubi tria facit, eundem omittere.

Ariſtoteles lib. 9. cap. 9. de hiſtoria animalium.

Alauda gallinago, & coturnix nunquam in arbore conſiſtunt, ſed humi. Contrà atq; picus martius, qui nunquam humi conſiſtere patitur. Tundit hic quercus, uermium & culicũ cauſa, quo exeant: recipit enim egreſſos lingua ſua, quam maiuſculam, & latiuſculam habet. Scãdit per arborem omnibus modis: nam uel reſupinus, more ſtellionũ, ingreditur. Vngues etiam habet commodiores quàm monedula, ad tutiorem arborum reptationem, his

his enim adfixis aſcendit. Sunt pici Martij cognomine, tria genera: unum minus quàm merula, cui rubidæ aliquid plumæ ineſt. Alterū maius quàm merula: tertium non multò minus quàm gallina. Nidulatur in arboribus tum alijs cum oleis. Paſcitur formicis & coſſis. Cùm coſſos uenatur, tam uehementer excauare, ut ſternat arbores dicitur. Iam uerò miteſcens, quidam amygdalū, quod rimæ inſeruiſſet ligni, ut fixū conſtanter ictum reciperet, tertio ictu pertudit, & nucleum edit. Paucis quibuſdam utrinque bini ungues ut auiculæ, quam Iyngem uocant. Hæc paulò maior quàm fringilla eſt, corpore uario. Habet ſibi propriam digitorum, quā modò dixi, diſpoſitionem, & linguam ſer-

pentibus ſimilem: quippe quam in longitudinem, menſura quatuor digitorum porrigat, rurſumq́; contrahat intra roſtrum, collum etiam porrigit in auerſum reliquo quieſcente corpore, modo ſerpentium, unde torquilla uulgò appellata eſt: quanquam turbo ab antiquis. Vngues ei grandes, & ſimiles, ut monedulis exeunt, uoce autem ſtridet.

Picus minimus. Medius. Maximus

Primum pici genus Angli ſpechtam, & uuodſpechtam, Germani elſterſpechtam nominant. Secundum genus Angli huholam, hoc eſt, foraminum dolatorem, Germani grunſpechtã nuncupant. Tertiũ genus Anglia nõ nouit, Germani aũt craſpechtam. i. cornicinum picum appellãt, quòd cornicem plumarũ colore & magnitudine etiam penè æquet.

Plinius præter hæc tria Ariſtotelis genera, quartum pici genus facere uidetur, nam lib. 10. cap. 33 ſcribit, picum aliquem ſuſpendere nidum in ſurculo primis in ramis cyathi modo, ut nulla quadrupes poßit accedere.

Præter uireonem ſolum, in Europa nullam aliã

auem

auem ita nidulari noui. Quare nullam aliam, quàm banc, quæ pici quartum genus eſſe poßit, inuenio.

DE PSITACO.

Pſitacus, Anglicè a popiniay, Germanicè eyn papegay.

Ariſtoteles.

Nam & Indica auis, cui nomen pſitacæ, quam loqui aiunt, talis eſt, & loquacior quum biberit uinum, redditur.

Plinius.

Super omnia humanas uoces reddunt pſitaci, & quidem ſermocinantes. India auem hanc mittit. Pſitacen uocant, uiridẽ toto corpore, torque tantũ miniato in ceruice diſtinctã. Imperatores ſalutat, & quæ accipit uerba, pronunciat: in uino pcipuè laſciua. Capiti eius duritia eadem quæ roſtro. Hæc cũ loqui diſcit, ferreo uerberatur radio: nõ ſentit

tit aliter ictus. Cùm deuolat, roſtro ſe excipit, illi innititur, leuioremq́; ſe ita pedum infirmitati facit.

DE PLATEA.

πέλεκαν, platea, platelea, pelecanus, *Anglicè a ſhouelard*, *Germa.* eyn leffler/ od' eyn löffel gāß.

Ariſtoteles.

Platea fluuiatilis, conchas maiuſculas, leuesq́; deuorat, quas ubi ſua ingluuie coxerit, euomit, ut hiantibus teſtis exuens, legat atque edat.

Plinius.

Platea nominatur aduolans ad eas, quæ ſe in mari mergunt, & capita illarum morſu corripiens, donec capturam extorqueat. Eadem cùm ſe deuoratis impleuit conchis, calore uentris coctas, euomit, atque ita eſculenta legit, teſtas excernens.

Hiero

Hieronymus.

Pelicani cùm ſuos à ſerpente filios occiſos inueniunt, lugent, ſeq́; & ſua latera percutiunt, & ſanguine excuſſo, corpora mortuorum ſic reuiuiſcunt.

Conradus Geſnerus, cùm Tiguri agerem, homo ut doctiſſimus, ita candidiſſimus, huius mihi auis cognitionem (ut fatear, per quem profeci) primus omniū communicauit, & ideo Germanis leflerā uocari docuit, quòd roſtrū cochleari ſimile haberet.

De porphyrione ex Plinio.

Porphyrio ſolus morſu bibit: idem ex proprio genere omnem cibū aqua ſubinde tingens, deinde pede ad roſtrum ueluti manu adferēs, laudatiſſimi in comagene. Roſtra ijs & prælonga crura rubent.

DE REGVLO.

Τροχίλος, πρέσβυς, βασιλεύς, *trochilus, ſenator, regulus,* Anglicè *a uuren,* Germanicè eyn kuningſgen/ oder eyn zaunkůningk.

Ari-

Ariſtoteles.

Trochilus & fruteta incolit, & foramina, capi difficulter poteſt; fugax atque infirmis moribus eſt, ſed uictus probitate, & ingenij ſolertia præditus. uocatur idem ſenator & rex, quam ob rem aquilam cum eo pugnare referunt.

Trochilus, eſt auium omnium minima, cauda longa & ſemper erecta, roſtro longiuſculo, ſed tenuiſsimo, colore ferè fuluo. nidum facit foris ex muſco, intus ex plumis aut lana, aut floccis, ſed plurimũ ex plumis. Oui erecti & in altero ſuo fine cõſiſtentis, formã nidus habet, in medio ueluti latere hoſtiolum eſt, per quod ingreditur & egreditur. In poſticis ædibus & ſtabilis ſtramine tectis, interdũ nidũ conſtruit, ſed ſæpius in ſyluis. auis eſt etiam ſoliuaga, & gregatim nunquam uolat, imò quoties alium ſui generis offendit, mox illi bellum indicit, & conflictatur. Quare aues illæ, quæ in Bauaria pennis auricoloribus, quas in capitibus ceu coronas aureas ferunt, in ſyluis æſtate degentes, & gregatim ad urbes hyeme aduolantes, reguli non ſunt ſed tyranni Ariſtotelis, ut poſtea docebo.

DE

DE RVBECVLA ET *ruticilla.*

Ἐρίθακος, ἡ ἐριθέα, rubecula. Anglicè a robin redbreſte, Germanicè eyn rôtbruſt/oder eyn rôtkelchen. Rubecula

φοινικουρὸς, &, ut alter textus habet, φοινικοῦρ-γος, Plinio phœnicurus, Gazæ *ruticilla,* Anglicè *a rede tale,* Germanicè eyn rôt ſtertz. Ruticilla.

Ariſtoteles.

Rubecula & ruticilla uermibus aluntur. Rubeculæ, & quæ ruticillæ appellantur, inuicem tranſeunt, eſtque rubecula hyberni temporis, ruticilla æſtiui, nec alio ferè inter ſe differunt, niſi pectoris colore & caudæ.

Omnia, quæ hîc Ariſtoteles de duabus auibus iſtis conſcripſit, Plinius *ex ipſo in opus ſuum tranſcripſit. Sed uterque hac in re, aucupum relatibus magis quàm ſua experientia nixus, à ueritatis tramite longiſsimè aberrauit, nam utraque auis ſimul conſpicitur, & rubeculæ domitæ, & in caueis alitæ, eandem perpetuò formam retinent. quin & eodem tempore nidulantes, ſed modis longè diuerſis*

ſæpiſsi

ſæpiſsimè in Anglia uidi. Rubecula, quæ non ſecus æſtate quàm hyeme rubrū habet pectus, quàm poſſit longiſsimè ab oppidis et urbibus in denſiſsimis uepretis, & fruticetis ad hunc modum nidulatur. Vbi multa querna reperit folia, aut quernis ſimilia, ad radices ueprium, aut denſiorum fruticum, inter ipſa folia nidum conſtruit: & iam conſtructum, opere ueluti topiario folijs contegit. Nec ad nidum ubiq; patet aditus, ſed una tantùm uia ad nidum itur. ea quoque parte, qua nidum ingreditur, longum ſtruit ex folijs ante hoſtium nidi ueſtibulum, cuius extremam partem paſtum exiēs, folijs claudit. Hæc, quæ nunc ſcribo, admodum puer obſeruaui, non tamen inficias iuerim, quin aliter nidulari poſsit. Si qui alium nidulandi modum obſeruauerint, êdant, & huiuſmodi rerum ſtudioſis, & mihi cum primis nō parùm gratificabuntur. Ego, quod uidi, alijs candidè ſum impertitus.

Rubeculę nidulatio

Phœnicurus, quem rubicillam uocat, in excauatis arboribus & (quod ſæpè expertus ſum) in rimis & fiſsuris murorum, poſticarum ædiū, in medijs urbibus, ſed ubi hominum minor frequentia concurſat, nidulatur. Phœnicurus mas nigro eſt capite, & cauda rubra, cætera fœminæ, niſi quòd ſubinde cantillat, ſimilis. Caudam ſemper motitat uterque. Phœnicu-

Phœnicuri nidulatio.

Rubeculā æſtate cantantē nunquam audiui.

nicura fœmina, & proles adeo rubeculæ pullis ſimiles ſunt, ut uix ab oculatiſsimo diſcerni poſsint. Verùm motu caudæ dignoſcuntur. Rubeculæ licet caudam moueant, poſtquam tamen ſubmiſerint, ſtatim erigunt, nec tremit bis aut ter more ruticillarũ. Ruticillæ enim ſimul atque caudam mouere ceperint, non ceſsant donec ter aut quater ſimul leuiter mouerint, ut alas, iuniores auiculæ cibum à matribus efflagitantes, motitant. Rubeculæ in æſtate, ubi in ſyluis ſatis ſuperq; alimenti ſuppetit, nec ullo infeſtamur frigore, (quæ res cogit illas in hyeme ad urbes, oppida & pagos confugere) cum prole ad deſertiſsima quæq; loca ſecedunt. Quare, minùs mirandum eſt, rubeculas in æſtate non paſsim occurrere. Ruticillas quid miri eſt in hyeme nõ eſſe obuias, quum per totam hyemem deliteſcant? Adhæc cùm rubeculæ pulli, in fine autumni perfectam ferè in pectoribus rubedinem nacti, ad pagos & oppida propiùs accedunt, ruticillæ, quæ antea per totam æſtatem cernebantur, diſparent, nec amplius in proximum uſque uer cernuntur. Quæ quum ita ſe habeant, quid Ariſtoteli aut illi hoc referentibus erroris anſam præbuerit, facilè quiuis poteſt colligere.

DE RVBETRA.

Βάτις, Latinè rubetra dicta, ab Ariſtotele

inter auiculas uermiuoras numeratur. Porrò, quænam auis ſit, prorſus diuinare non poſſum. Gybertus Longolius linariam, ſiue miliariam eſſe rubetrã putabat, quòd rubis crebrò inſideat. Sed quum Anglorum buntinga in rubis tam frequẽs ſit, quid uetat quô minùs & ipſa quoq; batis dici poſſit. Nihil igitur certi habemus, quod nomen Britannicum aut Germanicum ſit huic aui imponendum.

Sed quum auium ſuprà commemoratarum altera ſeminibus herbarũ ueſcatur, & altera hordeo & tritico, & batis Ariſtot. uermiuora ſit, delegẽda eſt auicula quæpiam, quæ ſolis uermibus paſcitur, qualis eſt auicula Anglis ſtonchattera, aut mortettera dicta, & Germanorum klein brachuogelchen. Hæc ſi batis non ſit, mihi prorſus ignota eſt. Porrò illa, quam Angli linotam, & Germani flasfincam uocant, ueteribus, ſi Ruellio credimus, erit miliaria.

DE RVBICILLA.

πυῤῥούλας, rubicilla, Angli. a bulfinche, Germa. eyn blodtfinck.

Rubicillam Ariſtoteles inter eas aues connumerat, quæ uermibus ueſcuntur: ſed pluribus uerbis eam non deſcribit. Ego nominis etymologiam ſecutus, rubicillam Anglorum bulfincam, & Germanorum

rum blouduincam eſſe conijcio. Nam omnium, quas unquam uidi auium mas in hoc genere, pectore eſt longè rubidiſſimo: fœmina uerò pectore toto eſt cinereo, cætera mari ſimilis. Sed ut facilius omnes intelligant, de qua aue ſcribam, magnitudine paſſeris eſt, roſtro breuiſſimo, latiſſimo, et nigerrimo, lingua latiore multò quã pro corporis magnitudine. Pars ea linguæ, quæ cibi ſapores dijudicans, oris cœlum tangit, carnea & nuda eſt, reliquæ partes cornea pellicula obducuntur. Supremam auis partem plumæ cyaneæ contegunt. cauda nigra eſt, & capite etiam nigro, ueſcitur libentiſſimè primis illis gemmis ex arboribus ante folia & flores erumpentibus, & ſemine canabino. auis eſt imprimis docilis, & fiſtulam uoce ſua proximè imitatur. nidulatur in ſepibus, & oua quatuor excludit, ut plurima quinq;. eundem colorem per totum annum ſeruat, nec locum mutat. Quæ quum ita ſe habeant, non poteſt hæc atricapilla eſſe, ut quidam uolunt, utcunq; extremo linguæ acumine carere uideatur.

DE SALO, QVI GRAECE ἄιγιθ☉ dicitur.

Ariſtoteles.

Salus ujtæ commoditate, & par

 tus

tus numero commendatur,ſed alte
riuspedis clauditate cedit. Sali &
flori ſanguinē miſceri negant,tã in
gens inter ſalum & florũ feruet o-
diũ. Salo etiam preliũ cũ aſino eſt,
propterea quòd aſinus ſpinetis ſua
ulcera ſcabendi cauſa atterat: tum
igitur ob eam rem, tũ etiam quòd
ſi uocem rudentis audierit, oua abi
gat per abortum,pulli etiam metu
in terram labantur. Itaque ob eam
iniuriam aduolãs, ulcera eius roſtro
excauat.

Plinius.

Aegithus auis minima cum aſi
no pugnat,ſpinetis enim ſe ſcaben-
di cauſa atterens, nidos eius diſſi-
pat,quod adeò pauet,ut uoce audi-
ta omnino rudentis oua eijciat, &
pulli ipſi metu cadant:igitur aduo
lans

lans ulcera eius roſtro excauat.

DE SITTA.

Sitta, Anglicè a nut iobber, Germanicè eyn nusbäkker oder eyn meyſpecht.

Ariſtoteles.

Sunt & ei, quæ ſitta dicitur, mores pugnaces, ſed animus hilaris, cõcinnus, compos uitæ facilioris. Rẽ maleficam illi tribuunt, quia rerum callat cognitione, prolem numeroſam facilemq́; progignit, carioſa ligna contundens, ex coſſis, quos inde eruit, uictitat. Sitta aquilæ oua frangit, aquila tum ob eam rem, quum etiam quòd carniuora eſt, aduerſatur.

Auicula, quam Angli nucipetam uocant, & Germani meyſpechtum, paro maximo paulò maior eſt, pennis cyaneis, roſtro longiuſculo, & per arbores eodem modo, quo picus aſcendit, & eaſdem uictus gratia contundit: nuces roſtro etiam perforat, & nucleos commedit. nidulatur in cauis arboribus mo

re pici, uoce ualde acuta & ſonora eſt.

DE STRVTHIONE.

Στρουθὸς, λιβυκὸς, *ſtruthio, aut ſtruthiocamelus, Anglicè an oiſtris, Germanicè eyn ſtrauß.*

Ariſtoteles.

Struthio, etiam libicus, eodem modo partim auem, partim quadrupedem refert, quippe qui non ut quadrupes pennas habeat, ut non auis ſublimis non uolet, nec pennas ad uolandum commodas gerit, ſed pilis ſimiles. Itē quaſi quadrupes ſit, pilos habet palbebrę ſuperioris, & gibber capite, parte colli ſuperiore eſt. Itaq; cilia habet piloſiora, ſed quaſi auis ſit, infrà pennis integitur. Bipes etiam tanquam auis, biſſulcus tanquam quadrupes eſt. Nō enim digitos habet, ſed ungulam bipartitam. quarum rerum

cauſa eſt, quòd magnitudine non auis, ſed quadrupes eſt. Magnitudinem enim auiũ minimam eſſe propè dixerim, neceſſe eſt. Corpus enim molem ſublimem mouere, nequaquam facilè eſt.

DE STVRNO.

ψάρος, ſturnus, Anglicè a ſterlyng, Germanicè eyn ſtăr/oder eyn ſtŏr.

Ariſtoteles.

Sturnus niger eſt, albis maculis diſtinctus, magnitudine merulæ.

Plinius.

Sturnorum generi proprium, cateruatim uolare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus.

DE TINVNCVLO.

κέγχρις, tinunculus, Anglicè a kiſtrel, or a kaſtrel, or a ſteingall.

Ariſtoteles.

Omnes, quibus ungues adunci, parcius generant, excepto tinunculo, qui plurima in adunco genere parit. Iam enim quatuor eius reperti ſunt pulli, ſed plures etiam procceari poſſe, apertum eſt. Tinunculo uentriculus ingluuiei ſimilis eſt, & ſolus in adunco genere bibit. Rubra ſunt eius oua modo minij.

Tinunculus colore multò magis eſt fuluo quàm reliqui accipitres, & corpore paruo. Auiculas inſequitur, &, ut quidam mihi retulêre, papiliones interdum. In cauis nidulatur arboribus, & in templorum muris, & æditioribus turribus, ut apud Germanos Argentorati & Coloniæ, & apud Anglos Morpeti obſeruaui. pullos etiam diu uolantes tantiſper alit, dũ ipſi ex proprio uenatu uiuere poßũt.

DE TETRAONE.

Τέτριξ, ὄυραξ, tetrao, Anglicè a buſtard, or a bl ſtard, Germanicè eyn trap / oder eyn trap gänß.

Ariſtoteles.

Tetrix, quam Athenienſes ura

gem

gem uocant, nec terræ, nec arbori ſuum nidum committit, ſed fruticì.

Plinius.

Decet tetraones ſuus nitor, abſolutaq; nigritia, in ſupercilijs cocci rubor. Alterum eorum genus uulturum magnitudinẽ excedit, quorum et colorem reddit. Nec ulla auis, excepto ſtruthiocamelo, maius corpore implẽs pondus, in tantum aucta, ut in terra quoq; prehendatur. gignunt eos alpes, & ſeptentrionalis regio. In uiuarijs ſaporem perdunt. Moriuntur contumacia ſpiritu reuocato. Proximæ eis ſunt, quas Hiſpani aues tardas appellãt, Græcia otidas dãnatas cibis. Emiſſa enim oſſibus medulla, odoris tędium extemplo ſequitur.

126

DE TYRANNO.

Tyrannus, Anglicè a nyn murder, Germanicè eyn neunmürder/oder eyn gold hendlin.

Ariſtoteles.

Veſcitur & uermibus tyrannus, cui corpus non multò amplius quã locuſtæ, criſta rutila ex pluma elati uſcula, & cætera elegans, cantuq; ſuauis hæc auicula eſt.

Quanquam Ariſtoteles unum tantùm tyranni genus faciat, Colonienſes tamen aucupes tria genera eſſe contendunt. Primum uocant die groſſe neun murder, quod Angli etiam ſchricum nominant: & ego Ariſtotelis mollicipitem eſſe conijcio: ſturnum magnitudine æquat, color eius à cyaneo ad cinereum uergit. Secundum genus eiuſdem eſt coloris, cuius & ſuperius, ſed paßerem magnitudine non excedit. Hoc genus etiam in aues ſæuit. Tertium genus, quod Ariſtotelis tyrannus eſt, auicula eſt regulo paulò maior, criſta rutila redimita, & cæteris generibus (ſi aucupibus credere phas ſit) cede & corporis effigie non dißimilis. Secundum & tertium tyranni genus apud Anglos hactenus nunquam uidere contigit, & primum genus licet in Anglia ſit,

paucißimis tamen notum eſt: ſunt tamen, qui norunt, & ſbricum uocant.

DE TRYNGA.

τρύγγας, *trynga, Anglicè a uuater hen, or a mot hen, Germanicè* eyn waſſer hen.

Ariſtoteles.

Lacus & fluuios petunt iunco, cinclus, & trynga, quæ inter hæc minora, maiuſcula eſt, turdo enim æquiparatur: omnibus his cauda motitat.

Iam, ut ſciatis, quam auem tryngam eſſe putem, auis tota pulla eſt, excepta ea caudæ parte, quæ podicem tegit, ea enim candida eſt, & tum cernitur, cùm caudam erigit. alis parùm ualet, atque ideo breues facit uolatus. In ſtagnis, quæ nobilium ædes obducunt, & in piſcinis apud Anglos plerunq; degit. Si quando periclitatur, ad arundineta denſiora ſolet confugere.

DE TVRDO.

κίχλα, *turdus, Anglicè a thruſche, Germanicè* eyn krammeſuögel / oder eyn wachholteruögel.

Ariſto

Ariſtoteles.

Turdorum tria ſunt genera, unũ uiſciuorũ, quod niſi uiſco reſinaq́; non ueſcitur, & magnitudine picæ eſt. Alterum pilare, quod ſonat acute. & magnitudine merulæ eſt. Tertium quod iliacum quidam uocãt, minimum inter hęc, minus'que maculis diſtinctum eſt. Mutat & turdus colorẽ, quippe collo æſtate uarius, hyeme diſtinctus ſpectetur, uoce tamẽ eadẽ eſt. Turdus nidos ex luto, ut hirundines, facit, in excelſis arboribus, ita deinceps continuato opere, ut quaſi catena quædã nidorum contexta uideatur.

Plinius.

Turdi hyeme maximè in Germania cernuntur.

Turdus primus. *Primum turdi genus Angli peculiariter nominant*

nant a thrushe, & Germani (niſi me fallant aucupes, qui me ſic uocare docuerunt) eyn crammeſuogel. Secundum genus Angli uocant a throßel, aut a mauis, Germani eyn droſſel, aut eyn durſtel. Tertiũ genus ab Anglis a uuyngthrushe, & à Germanis eyn uueingaerdsuoegel nuncupatur. Hic turdus utrinque iuxta oculos, & in pectore & in ipſo alæ flexu, intus & foris maculas habet latiuſculas rubras. Huius nidum nunquam uidi: nec mirum, quum per æſtatem apud nos nuſquam uideatur. primum genus non niſi hyeme in Anglia cernitur, aut ſi uideatur, rarum eſt. Secundum genus per totum annum apparet maculoſo ualde pectore, & cãtus ſui gratia à multis in caueis alitur. Nidum intus ex luto aut lignorum carie liquore mixta, & artificioſè leuigata, foris ex muſco in ramis arborum aut fruticum facit.

Secundus. Tertius.

DE VIREONE.

Χλωρίον, *uireo, Anglicè a uuitunol, Germanicè* eyn witwol/oder eyn weidwail/oder eyn Ferſenriſe.

Ariſtoteles.

Vireo docilis, & ad uitæ munia ingenioſus notatur, ſed malè uolat, nec

nec grati coloris eſt. Vireo totus uiridis ex obſcuro eſt, hyeme hic non uidetur, ſed æſtiuo ſolſtitio potiſſimùm uenit in conſpectum. Diſcedit exortu arcturi ſyderis, magnitudine turturis eſt.

Vireonem (quod ſcio) in Anglia nunquam uidi, ſed in Germania ſæpiſsimè. turture paulò minor eſt. Vocem fiſtulæ grandiuſculæ, quæ infimam cantionis partem ſuſtinet, ſimilem emittit. Nidum in ramo quem in ſumma arbore ſuſpendit, in formam rotundam conſtruit, ne cui hominum aut ferarũ ad eum pateret aditus.

DE VPVPA.

Ἔποπς, upupa, Anglicè an houpe, Germanicè eyn houp/oder eyn widhopff.

Ariſtoteles.

Vpupa potiſſimùm nidum è ſtercore hominis facit. Mutat faciẽ tempore æſtatis & hyemis, ſicut & cæterarum quoque agreſtium plurimæ. Vpupa una in ſuo genere non

nidi

nidificat, ſed ſtipites arborum ſu-biens, parit ſine ullo ſtramento, in cauis.

Literatores pleriq; omnes Britannici, upupam eam nominant auem, quam barbari ab alarum ſtrepitu, uannellum nuncupant, & ipſi ſua lingua lapuuingam uocant. Verùm iſtorum craßus error facilè autoritate Plinij de upupa ita ſcribentis, confutatur: Vpupa (*inquit*) obſcœna aliàs paſtu auis, criſta uiſenda plicatili, cõtrahens eam, ſubrigensq; per longitudinem capitis. *Hæc ille. Sed Grammaticis noſtris hic error eſt facilè condonandus, nam nuſquam in tota Britannia upupa (quod ego ſcio) reperiri poteſt, apud Germanos tamen frequentißima. Ea eſt magnitudine turdi, alis per interualla fuſcis, albis & nigris pennis diſtinctis, criſta in capite ab ea parte roſtri, qua capiti committitur, ad extremum uſq; occiput in lõgitudinem porrigitur, quam pro adfectibus ſuis aut contrahit, aut dilatat, ut equus aures arrigit aut demittit. tibijs eſt ualde breuibus, alis obtuſioribus, & lentè admodum uolat.*

Anglorũ lapuuingã non eſſe upupam.

De

DE VRINATRICE.

κολυμβεῖς, urinatrix, Angl. a douker, Germá. eyn düchcer.

Ariſtoteles.

Alia degunt quidem in fluido, uictumq́; inde petunt, ſed aërem nõ humorẽ recipiunt, & foris párere ſolent. Complura huius generis ſunt, partim greſſilia ut lutra, latax & crocódilus: partim uolucres ut mergi & urinatrices.

Ariſtoteles urinatricis unum tantùm genus commemorat, ego tamen tria urinatricum genera uidi. Horum primum totum nigrum eſt. & ſi cirrum, quẽ in capite gerit, exceperis, mergo, quo tamen triplo minor eſt: cætera, quod ad corporis attinet effigiẽ, non diſsimile eſt. & hoc genus nautæ noſtrates lounam nominant, alij doukeram. Secundum genus turdo non maius eſt, anati colore & corporis effigie ſimile, et hoc Angli med am urinatricem nuncupãt. Tertium genus adeo nuper ab ouo excluſum refert anſerculum, ut niſi roſtrum huius paulò tenuius eſſet, ægrè alterum ab altero diſcerneres. Non enim

pennas

pennas, ſed lanuginem quandam, earum loco obtinet. Degunt hæc plerunque tria genera in aquis ſtagnantibus, aut fluuijs non admodum rapidis, in quorum ripis arundines & carices naſcuntur.

DE VVLTVRE.

γύψ, *uultur*, *Anglicè a geir*, Germanicè *eyn geyr.*

Ariſtoteles.

Vultur nidificat in excelſiſſimis rupibus: unde fit ut rarò nidus & pulli cernantur. quocirca Herodotus Briſonis rhetoris pater, uultures ex diuerſo orbe nobis incognito aduolare putauit, argumẽto quòd nidum nemo uidiſſet uulturis, & quòd multi exercitum ſequẽtes, repentè appareant. Sed quanquam difficile nidum eius alitis uideris; tamen uiſus aliquando eſt.

Pariunt uultures oua bina. Cæte-ra, quæ carne ueſcuntur, non plus quàm ſemel anno párere exploratum eſt.

Plinius.

Vulturum præualent nigri, nidos nemo attigit, ideo etiam fuêre, qui putarent ex aduerſo orbe aduolare falſo. Nidificant enim in exceliſſimis rupibus. Fœtus quidem ſæpè cernuntur ferè bini. Vmbrícius auruſpicũ noſtro æuo peritiſſimus, párere tradit tria, uno ex his reliqua oua nidũq; luſtrare, moxq́; abijcere. Triduo aũt antè aut biduo uolare eos, ubi cadauera futura ſunt.

Perperã Grammatici quidam uulturẽ, gryphem nominant, uulturem & gryphem ineptè confundentes. quum gryps ſit à gryphen, animal ut creditur uolatile & quadrupes.

AVIVM LOCI COMMVNES EX ARIſtotele.

SI Plinium, Ariſtotelē, Ariſtophanē aut quemcūq; alium idoneum ſcriptorem te legere contingat, locos huiuſmodi cōmunes, quales exempli tantū gratia ſubijciam, in procinctu, libro inſcriptos chartaceo habere expedit, ut ad eos aues omnes, de quibus apud iſtos legis, certo referas. quod ſi feceris, nō dubito quin in auiū cognitione multùm breui ſis profecturus.

Appendices habentes.

Olor, anſer, anas, gallinaceus, perdix, ciconia, aſcalaphus, tarda, noctua, paſſer.

Ingluuies habentes.

Gallinaceus, palumbes, perdix & columbus.

Gulas totas amplas habentès.

Anſer, anas, gauia, cataracta, & tarda.

Gregales aues.

Olor, anſer minor, grus, & platea.

Frugibus uictitantes.

Palumbes, columbus, turtur, & uinago.

Lacus frequentantes.

Ardeola, albardeola, ciconia, gauia cineria, iunco, cinclus, trynga, calidris, & alcedones.

Mare frequentantes.

Alcedo, carulus, gauia alba, fulica, mergus, rupex & cataracta.

Amnes & lacus frequentantes.

Olor, anas, phalaris, urinatrix, boſca, coruus palmipes, uterque anſer, uulpanſer, capella, penelops, aquila marina.

Spinas appetentes.

Spinus, carduelis, & auriuittis.

Culicibus uictitantes.

Pici Martij, galgulus, culicilega.

Vermibus aut ex toto aut magna ex parte uictitantes.

Fringilla, paſſer, rubetra, luteola, & pari omnes, ficedula, atricapilla, rubicilla, rubecula, ſyluia curuca, aſylus, florus, montifringilla, regulus & frugilega.

Plures locos cuique licebit huius modi excogitare.

PERORATIO AD lectorem.

NOn deerunt forſan, qui mihi hoc uicio uerſuri ſunt, quòd libellus iſte meus coniecturarum mulrò plus quàm certarum adſertionum in ſe contineat: quibus reſpondeo, in re ardua, & nondum ſatis explorata mihi conſultius & modeſtius uideri, heſitanter & modeſtè coniectando ueſtigare, & ita inquirere, quàm temere & impudenter de rebus incompertis pronunciare. Quòd autem de moribus & medicinis auium nihil hic ſcripſerim, in cauſa fuerunt, temporis anni infœlicitas, & anguſtia (breuiori enim ſpacio quàm duobus menſibus totus liber conſcriptus eſt) &

pecuniæ copia minor, quàm quæ hu-
iuſmodi negocio abſoluendo ſuf-
ficeret. Nam quis ſine magna pecu-
niæ ui in longinquas regiones pro-
ficiſci poteſt, peregrinarum auium
formas & mores contemplaturus,
& illic diu ea de cauſa manſurus?
Quis familia aut uocatione ſua, aut
aliſs negocijs foras prodire prohibi
tus, ſine maximis impenſis omnia
auium genera ab aucupibus ad ſe ex
uarijs mũdi plagis allata, curare po
terit? et iã allata, quò mores ad ple
num perueſtiget, in uiuarijs & ca-
ueis ſine maximis ſumptibus alere
quis ſufficiet? Hoc Alexander ille
omnium ethnicorum regum po-
tentia, bellica gloria, & literarum
ſtudio maximus & nobiliſſimus ſe-
cũ animo perpendens, Ariſtotelem
iam

iam de animalibus ſcripturũ, quem priuatis ſumptibus negocium illud abſoluere non potuiſſe cognoue- rat, ad conducendos aucupes, & ue- natores, & ad alenda in uiuarijs ani malia iam capta, 480 milibus coro- natorum donauit, & ita inſtruxit. Talis ſi hodie alicubi Alexander exiſteret, non dubitarem quin no- uus nobis Ariſtoteles alicunde re- naſceretur, qui prioris illius Ariſto telis animalia omnia, paucis exce ptis, nõ ſolùm nobis cum moribus medicis ſuis facultatibus, & huius tẽporis nominibus exhiberet, ſed & multa plura animalia quã prior, & humano generi non minùs uti- lia nos doceret. Quòd igitur Ariſto teles de tam multis animantibus tã fœliciter ſcripſerit, Alexãdri po

tiùs liberalitati quàm Ariſtotel. dili gentię tribuendum erat: quamuis et ea ſummopere laudãda erat. Nam ſi Alexandri munificentia Ariſtoteli animalia illa ſpectanda nõ exhibuiſſet, hiſtoriam animalium nobis tam abſolutam nunquam ædidiſſet. Mirari igitur deſinant ſcriptorum huius temporis ocioſi cẽſores, frigidius, indoctius, & minori cum diligẽtia ſtirpium, auium, piſcium & quadrupedum hiſtorias hac ætate cõſcribi, quàm apud ſeculum priùs tractabantur. Quum hodie quicquid pręclari in lucem emittitur, priuatis tenuioris fortunæ ſtudioſorũ uirorum ſumptibus & typographorum impenſis edatur. Sed ad te iam redeo, candidiſſime lector, quem etiam atq; etiam obteſtor, ut ſi qua tibi

tibi ſeſe peregrina facie offerat a-
uis, paucis mihi illam, addito nomi
ne gentis tuæ, depingere non dedi-
gneris, & mihi & omnium bonarũ
literarum ſtudioſis ſcies te magno-
pere gratificaturum, nam nec facti
in ſecunda huius libri editione ero
immemor, nec quicquã, quod ad
hoc diſciplinæ genus pertinet,
mihi exploratum, te cela-
bo. Vale. Coloniæ Ca-
lend. Martijs.

ΑΛΒΕΡΤΟΣ Ὁ ΓΕΛΡΙΕΥΣ

περὶ τῆς βίβλου σπουδαίῳ ἀναγνώστῃ
εὖ πράττειν.

Ποίκιλα εἰ ἐθέλεις πῆν εἰδέναι ὦ φιλόμουσε
Τοῦτο ποίημα βραχὺ τάχ' ἀνάγνωσον ἄγε.
Οὐδεὶς ἀτ' ἀκριβῶς περὶ τούτων γράψεν ἰατρῶν.
Ὥστε βλέπεις τῇ δ' ἐν πάντα γραφέντα
βίβλῳ.
Τοῦ δ' οὖν σπουδαίου Τυρνήρου τὸν πόνον οὗτον
Ὑπέλαβεν: τούτου καὶ ἀπόλαυε καλῶς.

Ἄλλο.

Φωνὰς μανθανέμεν πῆν υῶν χιλιάς ἀναγνωστά
Βούλει; Τυρνήρου τὴν βίβλον ὠνέεο.
Τοῖα γὰρ οὐκ ἰατρῶν μηδεὶς πρὶν ἐγράψατο
πάντων,
Ἐν βιβλίῳ τούτῳ, ποῖα δοθέντα βλέπεις.
Εἰ ἄρ' ἀβρῶς τε σαφῶς, τῆς γραφθείσης ἀπολαύσειν
βίβλου ἀνδάνει, κίνεε δεῦρο πόδον.

Aliud eiuſdem ad candidum lectorem.

Accipe quæ docti medici tibi cura parauit

Tur-

Turneri, notas quiſquis auebis aues.
Has tibi tam uarijs manus ingenioſa figuris
Expreßit, noße ut quamlibet inde queas.
Ne quoque non poſſes has pernouiſſe, Latinas,
Anglas, Teutonicas, Argolicasq́; facit.

Liber ad lectorem.

Quiſquis aues uarias de nomine deq́; figuris
Nôße cupis lector, me lege, doctus eris.
Nec dabo, crede mihi, tibi munera parua laboris:
Nam uolucrum res eſt maxima ſcire genus.
Crebrò Grãmatici hîc hærẽt, ſtãt κωφὰ πρόσωπα,
Nec facit officio ſtultula turba ſatis.
Hîc ipſos medicos errare miſerrima res eſt,
Quos decet hæc animis nota tenere ſuis.
Seu Maro ſit pueris, ſeu Naſo poëta legendus,
Seu fuerint quæuis ſcripta legenda tibi:
Diſpeream, ſi non multò tibi maximus error
Occurret paßim, ni bene nôris aues.
Autorum nimiam placet haud poſuiſſe cateruam,
Vt tibi, quæ teneo, noſtra probare queam.
Plinius hic ille eſt, & Ariſtoteles, reliquiq́;,
Quotquot de uolucrum nos ratione docent.

Hos

Hoc ſcio, Turneri miraberis ipſe laborem,
Doctrinam, ſummam cum pietate fidem.

Ἀδήλου.

En tibi, quos docti dedit hic pia cura labores
Turneri medici, candide lector habe.
Inuenies nimium quæ te didiciſſe iuuabit,
Hinc uenient fructus in tua uota boni.

FINIS.

ERRATA.

Pagina 14 dele diu.
Pag. 24. linea 2. lege caro huius.
Pag. 26. lim. 8. lege demiſsis.
Pag. 34. lim. 13. lege ſe.
Pag. 39. lim. 19. graſmuſcho.
Pag. 52. lim. 20. kraeg.
Pag. 64. lim. 9. lege gauiam albam.
Pag. 72. lim. 11. definio. lim. 19. χλόχμας.
Pag. 86. lim. 15. lege cibum.
Pag. 94. lim. 1. lege anniculis.
Pag. 111. lim. 9. lege paſſeris.
Pag. 119. lim. 16. lege galgulum in margine.

A.

de Anate. pa: 7

de Alcedone. pa: 5.

de Aquila. — pa: 12.

de Ansere. — pa: 8.

de dece generib9 Accipitrũ. pa: 1.

de Ascalo. — pa: 3.

de Aquila vera. pa: pa: 18.

de Ardea. pa: 19

de Auriuitte. — pa: 21.

de Attagine. — pa: 22.

de Atricapilla

de Apodibus. pa: .66.

B.

de Bubone . pa: . 26 .
de Bosca . pa: . 27 .
de Butco . pa: . 3 .

C

de Caprimulgo. pa: 27.
de Carduele pa: 28.
de Coeruleone. pa: 29.
de Certhia. pa: 30.
de Ciconia pa: 31.
de Cinclo. pa 32.
de Chacide pa: 33.
de Collurione pa: 34.
de Collumbis. idem.
de Coturnice. pa: 37
de Cornice. pa: 38.
de Coruo. pa: 39.
de Culicilliga. pa: idē
de Cuculo. pa: 40.
de Crece. pa: 42.

8D

de Diomedijs auibus. pa: 43

F. :F.

F.

de Fringilario. pa: 4
de Fringilla. pa: 45
de Fulica. pa: 47
de Floro pa: 46.

G.

de Gauia. pa: 50.
de Gallerita. pa: 51.
de Gallis. pa: 53.
de Gallinis idem.
de Gallinagine. pa: 57.
de Graculis. pa: 59.
de Grue. pa: 62

H

de Halliaeto. pa: .17.
de Hirundine. pa: 64.
de Haematapodibus,: pa: 69.

·J·

de Juncone. pa: 70

·L·

·L·

de Lingulaca. pà: 70
de Lagopode. pa: 71.
de Ligurino. pa: 71.
de Lutea pa: 73.
de Luteola idem.
de Luscinia. pa: 74

M.

de Merope . pa: 78.
de Merula . pa: 80
de Mergo . pa: 75
de Morphana pa: 14.
de Milvio . pa: 82.
de Mollicipite pa: 83.

F.N.

de Noctua. pa: 85.

de (

O

de Olore. pa: 86.
de Onocratolo. pa: 87
de Ortigometra. pa: 91
de Ossifraga. pa: 92.
de Oto. pa: 93

P.

de Paris. pa: 94.
de Pardalo pa: 95.
de Passeribus. pa: 96.
de Pauone. pa: 99
de Perdice. pa: 100.
de Phasiano. pa: 102.
de Phœnice. pa: 103
de Pica. pa: 105
de Pico Martio. pa: 107
de Psitaco. pa: 111.
de Platea. pa: 112.

R.

de Regulo. pa: 113.
de Rubegula. pa: 115.
de Ruticilla. pa: idē.
de Ruberta. pa: 117.
de Rubicilla. pa: 118.

S.

de Galo. pa: .119.
de Sitta. pa: .121.
de Struthione. pa: 122
de Sturno. pa: 123.
de

T.

de Tinunculo. pa: 123.
de Tetraone. pa: 124.
de Tiranno. pa: 126.
de Tringa. pa: 127.
de Turdo pa: idē.

·V·

de virione. pa: 129.
de vpupa. pa: 13.
de vulture. pa: 133.

firmo